



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

[Secvnda Pars Meditationes Pro Festis Totivs Anni.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

in vita, eum non timebant, sed cum magno gaudio ex hac vita migrabant. Et facta ad te reflexione, ita vivere stude, vt te quàm optime disponas, ad tremendum illum diem.

S A B B A T O.

Post Dominicam vigesimam octauam à Pentecoste.

De quatuor affectibus erga B. V. Mariam.

Primum Punctum erit, excitare in nobis affectum gaudij, de bonis Beatissimæ Virginis: *Primum*. Personalibus, ipsæ triplicibus: *Natura*, in qua genuit Christum Dominum: *Gratia*, quâ superauit omnes Sanctos: *Gloria*, quâ Domino Deo est propinquissima. *Secundum*. De bonis quæ suis precibus & meritis confert in homines. *Tertium*. De cultu eius vario per totum orbem terrarum, quæ omnia pio affectu consideranda sunt, & varij affectus gratulationis & gaudij eliciendi.

Secundum Punctum erit, excitare affectum, imitationis virtutum B. V. præsertim castitatis eius, quæ ne Christi Domini Mater esse voluit, donec intellexit id futurum integrâ virginali castitate: humilitatis, quæ etsi esset nobilior omnibus puris creaturis, tamen & iudicio interno, & verbis, & actibus humiliationis, profundissimam ostendit demissionem: paupertatis, quæ etiam partus tempore, incommodissimum elegit hospitium, bestijs, non hominibus destinatum: obedientiæ, quæ etsi grauida Filio Dei, abiit vt obediret decreto Cæsaris Augusti, & sic aliarum virtutum.

Tertium Punctum erit, excitare affectum gratiarum actionis pro beneficiis & communibus, & tuis propriis, per hanc Virginem acceptis à Domino Deo.

Quartum Punctum erit, excitare affectum obsecrationis, ei tum communes, tum proprias necessitates commendando.

S E C V N D A P A R S.

MEDITATIONES PRO FESTIS TOTIVS ANNI.

Non positus in Prima Parte.

De Omnibus Sanctis.



Primum Punctum. Considera multiplicem gloriam Sanctorum in cælis varias in classes distributam, tam Angelicorum quàm humanorum Spirituum Beatorum, quam gloriam habent, ex clara ac intuitiva Domini Dei visione, prout est in se. Vnde replentur omni bono, illi statui conuenienti, cum summo gaudio voluptateque, experte omnis tristitiæ, cædij, sollicitudinis, timoris, laboris, & aliarum omnium rerum molestiarum: cuius gloriæ magnitudinem cognosces, tum ex illâ Spiritus S. sententia: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominu ascenderunt qua præparauit Deus diligentibus se*; tum ex infinito valore operum ac meritorum Christi Domini vitæ ac mortis, quâ comparauit Electis, huius gloriæ consecutionem. Et ita ad consecutionem huius gloriæ, vehementer desiderium tuum accende.

Secundum Punctum. Considera facilitatem assequendi hanc gloriam, vi meritorum Christi Domini & auxiliorum eius gratiæ. Cuiusbet enim in Domini Dei gratiâ existenti, datum est ius ad gloriam: quo iure, inuitus, ne quidem à Domino Deo potest priuari vllus: gratiæ

Lancicy Opusc. Tom. 2.

autem consecutio tam facilis est, quàm facilis est bona confessio, ac post eam gratiæ consecutio, per fugam peccatorum, quæ etiam volenti, per Domini Dei gratiam, cuius est facilis. Vide igitur quomodo hac in parte te geras, & tibi ad gloriam aditum per gratiæ consecutionem pares.

Tertium Punctum. Considera facilitatem consequendi locum & gradum altissimum in gloriâ cælesti, ad quam altiore & maiorem consequendam iusto nulla alia re ex parte ipsius opus est, quàm operum bonorum propter finem supernaturalem, liberè & sine peccato factorum, frequentatione: minimis enim operibus talibus, correspondet certa gloriæ pars, vnde in infinitum augeri potest, si in infinitum à te frequentetur in hac vitâ. Deplora ergo cæcitatem tuam, qui cum possis in tam altissimo loco, Deoque propinquissimo tam facile esse, per meram tuam socordiam tam magno bono te priuas.

Quartum Punctum. Considera necessitatem multiplicem, quâ planè obligaris ad hoc, vt non quomodocunque, sed tanquam magnus Domini Dei seruus & perfectus, ex hac vitâ ad gloriam cælestem transferaris, cum habeas multa auxilia interna & externa ad hoc, & nulla impedimenta; & si quæ sunt, talia sunt,

B b b b ; quæ

quæ possunt te iuuare ad gloriæ & gratiæ Domini Dei augmentum, si ea tollas vel eis obstitas. Ex alterâ parte perpende quàm sis imperfectus & malus Domini Dei seruus, quàm multas sceminas in cælis sæculares inuenies, quæ in hac vitâ erant magis perfectæ in oratione, in paupertatis amore & exercitio, in castitatis dono, in patientiâ, in obedientiâ, in munditiâ cordis. Excita ergo te ad Sanctitatis desiderium, deplora cæcitatem tuam, & te emenda.

Die Defunctorum.

Primum Punctum. Considera acerbiteriam pœnarum purgatorij, conferendo eas cum internis animæ & corporis molestiis, quas morbi multiplices adferunt hominibus in hac vitâ, & aliæ calamitates, & cum omnibus supplicijs, quæ vel scelesti homines ob facinorâ, vel Sancti ob virtutem sunt inquam passi, vel pati possunt, quibus omnibus sunt grauiiores multo, purgatorij pœnæ minimæ. Quâ earum acerbitate permotus, agnosce quomodo danda tibi sit opera, vt miscellas animas ibi crucietas, eliberare inde studeas, & te ipsum ab ijs præseruare.

Secundum Punctum. Considera facilitatem incurrendi pœnas purgatorij, quibus obnoxij redduntur homines, quouis veniali etiam minimo peccato, in hac vitâ inexpiato. Tu modum viuendi tuum introspecte, & agnosce, quàm multa talia, & fortè quotidie committis peccata, & te dignum tam acerbis purgatorij pœnis reddis. Quocirca si scites te, in crimine aliquo deprehensum, ob quod mereris pœnâ capitis, quâtopere sollicitus esses ad euadendam eam pœnâ, quid non offerres pro commutatione talis pœnæ? Idè statue ad euadendas purgatorij pœnas, multo grauiiores omni humano supplicio.

Tertium Punctum. Considera modum, quo potes euadere purgatorij pœnas peccatis tuis debitas: scilicet, magno seruire ardentis erga D. Deum charitatis, & magnâ pœnali satisfactione seu maceratione carnis & animæ quæ tamè multo minor est, acerbitate pœnarum purgatorij. Collige itaq; in vnum omnes molestias tuas, quas siue animo, siue corpore pateris, quâ multo sint leuiores purgatorij pœnis, quibus tamen patienter & libenter toleratis, posses illas, vel omnino euadere, vel penitus abolere. Et statue, quàm serio & quàm patienter illæ tibi in posterum sint tolerandæ.

Quartum Punctum. Considera in particulari, magis frequentem molestiam, quæ te in Religione affligit ac turbat, & vitam tuam inquietam reddit, an sit tanta, quanta est v.g. molestia quam perciperet aliquis, in fornace ardens: procul dubio non est tanta. Cur ergo molestias tuas tolerare non vis etsi minores molestiâ fornacis ardeatis, & adhuc multo minores mo-

lestia purgatorij? Id quantum beneficium est, illas perpeti, ne purgatorij maiores cruciatu sentias. Deplora ergo tuam sensualitatem, & te ad omnia huius vitæ acerba præpara, siquidem longè minora sunt purgatorij pœnis.

De S. Martino.

Primum Punctum. Considera facilitatem inuendæ magnæ gratiæ apud D. Deum, per opera non magna, sed ex magno seruire charitatis, D. Dei causâ facta, quale fuit illa pars velitis, data indigenti à S. Martino quod Christus D. tanti fecit, ei vt apparens dixerit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Si ergo nondum baptizati Adolescentis elemosina, tam grata fuit Christo D. quanto magis alia iustorum opera seruienter facta. Admirare D. Dei clementiam, letare ob tam facilem rationem placendi D. Deo, & excita te ad frequentanda opera bona D. Dei causâ.

Secundum Punctum. Considera amorem vitæ Religiosæ in Sancto Martino, qui factus Episcopus, in Monasterio à se ædificato, cum 60. Monachis sanctissimè vixit: & causâ inquire, quæ eum ad talem viuendi modum & locum impulerant, & ex singulis te excitare stude, ad amorem tenerimum & feruentissimum religiosæ vocationis, bonis eius præcipuis intimo sensu, & erga Diuinam Maiestatem grato, ponderatis.

Tertium Punctum. Considera bonam conscientiam S. Martini, qui nec mori, immo mortis proximus, nec viuere, Dei adhuc in eius plebe honorandi causâ, recusauit, & perpende, quid ei tantam vitæ & mortis securitatem attulerit; & an in te sint ea, quæ talem securitatem adferre queant, inquire, & id omni conatu consequi stude.

Quartum Punctum. Considera eius in oratione constantiam, & orandi modum, nam oculis & manibus semper in cælum intentis, multum ab oratione spiritum non relaxabat: & momentibus Discipulis, vt pronus quiesceret. Respondit: *Sinite me cælum potius quàm terram aspiciere, vt suo iuvenire, iurus ad Dominum Spiritus dirigatur.* Quem pia mentis affectum cum gustu intimo considerans, exardescere amore tam bonæ animæ, tali erga D. Deum affectu liquefactis, & inculatâ tuâ auersione à rebus similibus, erubescere coram Diuinâ Maiestate, veniam pete, & propone emendationem.

De SS. Martyribus templi nostri.

Primum Punctum. Considera multos Martyres fuisse aliquando D. Dei inimicos, ob defectum fidei, vel vitæ bonæ, sed postea D. Dei beneficio conuersos, gratulare talibus, gratias age D. Deo, & spe sanctâ accendere, tanquam

is, qui non obstantibus tot peccatis tuis præteritis, possis eleuari à stercore, vt fideas cum principibus populi D. Dei, idque vt fiat, adhibe SS. Martyres intercessores.

Secundum Punctum. Considera motiua quæ habes, ad spem hanc acquirendæ sanctitatis magnæ augendam. *Primo.* Infinitam D. Dei bonitatem. *Secundo* eius amorem erga genus humanum. *Tertio.* Infinita Christi D. merita, qui est caput tuum & frater tuus. *Quarto.* Christi D. preces & cælestium. *Quinto.* Preces tot fratrum, & merita quorum es particeps. *Sexto.* Media à Christo D. in Religione & Ecclesia relicta pro hac re, tantum da operam tibi ne desis, & iis vtaris.

Tertium Punctum. Considera acerbitatē tormentorum varij generis, quæ SS. Martyres sunt passi Christi D. causa. Gratiarum age illis pro hac re, & præcipue Domino Deo, cuius ope ea sunt passi. Confer tuas molestias omnes, cum eorum suppliciis, & confundere, quod res leuiiores ferte patienter nolis Christi Domini causâ.

Quartum Punctum. Considera quo affectu & honore colas SS. horum Reliquias, quas eo quoque sine Domino dedit huic Ecclesiæ, vt colerentur à te Dilecti D. Dei, vtque auxilia ab iis quoque mendicares. Quare vide quid te oporteat facere hac in parte.

De Præsentatione B. V. M.

Primum Punctum. Considera causas, ob quas Beatissima Virgo à Parentibus piis Domino præsentata fuit, vt prope templum Domini, Domino deseruiret, & ex singulis pios affectus elicias.

Secundum Punctum. Considera tempus B. V. quæ præsentata fuit ætate, scilicet tertio anno ætatis: & hic similiter causas inquire, cur tã citò voluit D. Deus eam suo obsequio deputare, & factâ ad tardam tuam ad Christum D. conuersionem applicatione, confundere, veniam pete, compensa tarditatem.

Tertium Punctum. Considera quo animi affectu, Virgo tenerrima se Domino offerret, quid mente, quid ore, quid gestu erga Dominum exhiberet in Præsentatione sui, & ex singulis decerpe imitanda, quæ tui confusio nem parere possunt, ac vitæ adferre emendationem.

Quartum Punctum. Considera quomodo vixerit B. Virgo in ædibus templo adiacentibus post sui Præsentationem, quomodo in rebus Diuinis se gesserit, quomodo in sermone, & aliis operibus cum aliis: & factâ ad te reflexione, ac propositis variis emendationis morum tuorum, pete ab illa, vt tibi impetret resolutionem perseuerantem & efficacem, vt tandem aliquando te Domino præsentem, instar boni

& fidelis setui, exactè res ab eo, & eius nomine ab eius æconomis iniunctas, exequendo.

De S. Catharina V. & M.

Primum Punctum. Considera miram S. Catharinæ à primâ ætate in studiis literarum, & fidei amore diligentiam, quæ breui ad eam sanctitatis & doctrinæ perfectionē peruenit, vt 18. annos nata eruditissimum quemque superaret, & simul perpende, quid ex parte sua cōtulerit, ad tantum tam breui tempore, & in sanctimoniâ vitæ, & in literarum disciplinis profectum: & factâ ad te reflexione, vide quid desit tuâ culpâ tibi, & imitari stude hanc Sanctam.

Secundum Punctum. Considera fortitudinem S. Catharinæ, quæ spreto mortis periculo vltiò adiit Maxentium, eius in Christianos immanitatem redarguens, & Christi D. fidem ad salutem necessariam suadens, cum quâ heroicâ fortitudine confer tuum vanum timorem, qui nullos alienos defectus impedire verbis vel factis audes, sæpe etiam adituas, etsi impediendo illos, nullum damnum, magnam apud D. Deum, & melius de rebus iudicantes, laudem referres; & tamen vis esse Martyr Christi D. & tamen ad Christi D. honorem promouendum & conuertendum mundum, Religionē ingressus es, qui nec domesticos defectus leues impedit audes: erubescere & te emenda.

Tertium Punctum. Considera patientiam inuictam Catharinæ, quæ nec verberibus, nec plumbatis, nec vndecim dierum sine cibo & potu exactorum abstinentiâ, nec paratis ad carnificinam crebris & acutis gladiis præfixâ machinâ, se passa est auelli à datâ Christo Domino suo fide. Tu cum his tormentis confer illas molestias, quas Christus D. per homines in penam tuorum peccatorum mittit, quàm leues sunt, & penè nullæ, & tamen quàm sæpe eas vel refugis, vel iniquo animo fers, & earum occasione Christum D. offendis. Deplora ergo hos tuos mores, & ad ardens patiendi in domo Dei desiderium, accendere.

Quartum Punctum. Considera præmium virtutum S. Catharinæ, scilicet Martyrij coronam, corporis in monte Sinai per manus Angelicas sepulturam, & gloriam cælestem, & quam benè Dominus pro se factâ & tolerata, remuneratus sit. Hæc perpendens excita te ad multa bona Domini Dei causâ parâda, & multa mala æquo animo perferenda, vtque hæc assequaris, ardentem à D. Deo pete.

De S. Andrea Apostolo.

Primum Punctum. Considera mira D. Dei iudicia, qui ad Apostolatam, non Reges, vel Principes, sed viles homines vocauit, vti Andream

dream mittentem rete in mare, causisque huius rei piè ponderatis, spem in te excita diuini fauoris, cui non obstat vilis conditio tua, si tamen Dominum Deum audire uolueris, qui iam te ad Apostolicam vitam uocauit, pro qua re actis illi gratis, mores Apostolicos & perfectiorum pete.

Secundum Punctum. Considera finem uitæ Apostolicæ: *Faciã vos fieri piscatores hominum*: & hinc agnosce finem uocationis tuæ, an uerò eum queras, an pro tuo modulo homines Deo piscari coneris, inquire: non est aurè quod te excuset, defectu occasionis, nam & domi & in cubiculo habes quem pisceris, si non alium, saltem te ipsum, hoc ergo ut facias, ad id te excita, adductis ad id aliquot motiuis.

Tertium Punctum. Considera promptam S. Andreæ obedientiam, qui ad primam Christi D. uocem, statim secutus est eum: tu examina tam frequentes Christi D. uoces, tam internas quàm externas, quas alieno ore ad te transmittit. Cur ergo Christum D. non audis? ex altera parte pondera, quàm facillè audias mala suadentes uerbo & exemplo, quis crederet, Religiosum credentem Christum D. magis esse audiendum quàm hominès, his tamen faciliùs mòrem gerere, cum damno suo, quàm Christo D. cum certà spe præmij; hæc ruminando confundere, desse, & te emenda.

Quartum Punctum. Considera dulcissima illa S. Andreæ ad Crucem per quam cælos confendit, alloquia: *Salue ô bona crux, sine intermissione quaesita. Et tandem aliquando cupienti animo preparata. accipe me ab hominibus, Et redde me Magistro meo, ut te per te me recipiat, qui per te me redemit* & singula uerba, iuxta secundum uel tertium orandi modum ponderando, elicies pios affectus, & in te crucis desiderium excitabis, & crucis fugam detestabere.

De S. Xauario 2. Decembr.

Primum Punctum. Considera tempus ætatis, quâ S. Xauius ad uitæ sanctioris studia, diuinitus per S. Patrem Ignatium uocatus est, anno scilicet ætatis 37. hinc spem concipere potes, nondum esse elapsum tempus id, quo & tu quoque, uitâ meliorem inchoatâ, queas Domini Dei ope ad sanctitatem plenam peruenire: siue quia citiùs mundum reliquisti quàm S. Xauius, siue etsi tardiùs ad D. Deum conuersus es, potest Dominus etiam in extremâ ætate suorum donorum monilibus te exornare, tantum duabus rebus te instrue: primò efficaci resolutione & ardenti ad uitam sanctè traducendâ: secundò, constanti cooperatione tuâ ad D. Dei auxilia, quæ nulli desunt, adhibenda; quæ sita sunt tum in impedimentis uitæ sanctæ superandis, tum in amplectendis mediis ad eam conducendis, Quod an habeas uide; quod si for-

te non habes, habere incipe, implora diuinum auxilium, & te seridè emenda.

Secundum Punctum. Considera duos modos quibus initio suæ conuersionis usus est S. Xauius ad uitæ sanctæ consecutionem, Primò enim magnâ uictoria conatus est carnem spiritui rebellem compefcere, medio uerberationum, ciliciorum asperitate. Secundò, animi quoque impetus cohibere studiis, officiorum humilium frequentatione, & sui uictoria in amplectendis iis à quibus uitiosè abhorret natura. Hæc uero opere conferant ad uitæ sanctioris progressus, uide, & an tibi sint cordi, pondera, & statue quid tibi sit faciendum.

Tertium Punctum. Considera ordinarium modum quo S. Xauius more aliorum D. Dei seruatorum usus est ad magnum in sanctitate progressum, scilicet, studium diligentissimum assidue cum D. Deo coniunctionis, quod enituitum in rebus ad D. Dei cultum spectantibus accuratè & ardenter perficiendis, scilicet Meditatione, Missâ, Officio Diuino, examine conscientia: tum in iungendâ perpetuò mente cû Diuinâ Maiestate, quantum per occupationes licebat. Hic reuocatis in memoriã uariis harum rerum exemplis in uitâ eius, maximè illò ardore orationis præ quo non poterat D. Dei in se infundentis capere copiam & exclamare cogebatur: *Sati est Domine, sati est*: Et tuâ tepiditate, ariditate, negligentiaque deploratâ, tuos mores corripere.

Quartum Punctum. Considera cautelam quâ S. Xauius adhibuit, in uitandis omnibus, quæ spirituali illius profectui nocere poterant: cui enim totâ uitâ inuolutam sergari castitatem, tamen aded timidus & cautus in hoc genere erat, ac si maximè obnoxius esset libidini. Deinde, etsi tot donis D. Dei esset plenus, sapius tamen in die conscientiam suam examinabat ne quâ in re uel leuissimâ laberetur. Tu confer motes tuos cum his moribus, & cum tanto opere sint ab iis diuersi, uide quâ in posterum cautelâ internâ & externa sit tibi utendum.

De S. Nicolao Confessore.

Primum Punctum. Considera quid à te Christus D. exigat cum se comparat *Domine peregri à seruis suis proficiscens*: scilicet, ut ita te geras domi suæ, quem admodum solet seruus bonus dare operam, ne se Dominus rediens inueniat imparatum. Talis an sis uide, & ut sis contende.

Secundum Punctum. Considera talenta naturalia intrinseca data tibi ad lucrum spirituale ingentium meritorum, scilicet membra & sensus corporis, potentiaque animæ, & quomodo huic lucro spirituali hætenus uacaueris inquire, & te corrige.

Tertium Punctum. Considera quod non tantum

tum quoque, sed multo plura talenta à Domino accepisti ad lucrum in statu Religioso, & tuo Ordine, tum communita aliis Religiosis, tum propria tui Ordinis, quæ omnia sigillatim trutinata, & quem ex his fructum reportes, perpende, & vide, quid te oporteat facere, ut cum in die Iudicij particularis Dominus redierit, non te puniat, sed constituat super omnia opera sua in cælo Beatum & Regnantem.

Quartum Punctum. Considera communia talenta supernaturalia intrinseca & extrinseca, data tibi diuinitus ad lucrum spirituale amplissimum, omnia scilicet media Sacramentorum, Ceremoniarum, Indulgentiarum, librorum, Exemplorum, gubernationis Superiorum, Cõcionum, Monitorum & auxiliorum Diuinæ gratiæ multiplicium; item habitus supernaturales virtutum, & Dona Spiritus S. Et ut iis tanquam bonus seruus vtaris, vide.

De Conceptione B.V. Mariæ.

Primum Punctum. Considera miram D. Dei providentiam, quæ Sanctissimas permittit Personas variis hominum Iudiciis infestari, eorum famæ aduersantibus, propter fines procul dubio magnos, ad magnam eius gloriam spectantes. Et ita permittit Viros Sanctos & doctos existimare B. Virginem Mariam in peccato originali esse conceptam. Hoc exemplo animam te, ad sinistra hominum iudicia, dum nullam eis das occasionem, eaque expete, adductis ad id expetendum motiuis, vt ita te conformes Matri tuæ Sanctissimæ.

Secundum Punctum. Considera peccati originalis vim, quod etiam ipsam Deiparæ animam infecisset, nisi peculiari D. Dei ope præseruata fuisset. Cuius beneficii magnitudinem ponderans, Gratulare Beatissimæ Virgini, Deo optimo Maximo gratias age: te verò humilia eorum eius Sanctissima Maestrate, quia ipsum vitæ tuæ initium ab inimicitis cum D. Deo exorsum est, & gratias age quod te noluerit sine baptismo mori, quo innumerè carnerunt, & decessuri nunquam beatificè videbunt D. Deum, nisi à martyrio vel aliis modis iuuentur.

Tertium Punctum. Considera pulchritudinem & nitorem B. Virginis in anima dum corpuseculo illius iungebatur ex gratiâ sanctificante ortum. Cuius gratiæ pulchritudinem agnosces, tum ex malis quæ arcent, tum ex bonis quæ confert, tum ex comparatione ad omnes alias, quas homines amant, & quibus inhiant. Hac autem consideratione excita in te desiderium habendi animam quàm maximè mundam, & querendi pro hac te media.

Quartum Punctum. Considera affectum ottigium Personarum Diuinarum, item SS. Angelorum è cælo animâ Beatissimæ Virgini necdum natæ spectantium, cum quo maximè gustu,

cum quâ voluptate, & commendatione eam spectauerint. Huic affectui in te similem excita erga B. Virginem, eamque intimè adora, vt tot donis gratiæ ab instanti conceptionis plenam, & factâ reflexione ad turpitudinem animæ tuæ, confundet, veniam pete, implora eius auxilium, vt quàm citissimè & quàm perfectissimè munderis, & perfectissimus in oculis D. Dei appareas.

De S. Thoma Apostolo.

Primum Punctum. Considera typum hominis destituti efficaci D. Dei auxilio in S. Thoma exposito, qui aliis Apostolis, etsi fide dignis, & testibus oculatis credere noluit Christi D. Resurrectionem asserentibus. Ideo semper esto pauidus, & nunquam præsumas, & si quos labi grauius quandoque audis, iis cõpatere, & vide quid te oporteat vitare & facere, ne tibi efficaciam auxilij, quod multis fecit, subtrahat Dominus Deus.

Secundum Punctum. Considera maiorem incredulitatem tuam, quàm fuerit Thomæ, qui plura habens testimonia Christi D. ipsius, non credis practicè res plures; quia factus ostendis te non credere maiora esse bona cælestia quàm gustus terrenos; magis esse querendam gratiam D. Dei quàm hominum: maiores esse penas purgatorij quàm huius vitæ molestias: virtutes maiori studio digniores esse quàm sciētias humanas. Hæc cum videris te illis antepone, erubescere, & te emenda.

Tertium Punctum. Considera benignitatem Domini Iesu, qui etsi valde detestaretur peccatum Thomæ, eum tamen à se non reiecit, sed benignè ipsum adiit, allocutusque est prior, & se palandum incredulo exhibens, incredulitatem abegit. Gratias age tam benigno Domino: confer tuum procedendi modum cum iis à quibus te putas offensam, & desce defectus tuos ac corrige.

Quartum Punctum. Considera pios affectus in S. Thoma Christi D. vulnera aspiciente & tangente, & verba illius: *Dominus meus & Deus meus*: & similes affectus elicere stude erga SSa Sacramentum quod suscepturus es.

De Purificatione B.V. Mariæ.

Primum Punctum. Considera miram Beatissimæ Virgini Humilitatem simul & obedientiam, quæ tanquam minima & ordinaria Mater Christo Domino edito in lucem, per 40. dies iuxta legem Moyse mansit, *omne Sanctum non tangens, nec intrans Sanctuarium donec impleverent dies Purificationis suæ.* Pondera hanc eius humilitatem & obedientiam ad quam non tenebatur. Gusta interno gustu suauitatem haurum virtutum, causas earum inquire, & confet

tuos fastus, vanam gloriam, inobedientiam: confundere, & proponere emendationem.

Secundum Punctum. Considera externas occupationes B. Virginis per 40. dies suæ Purificationis internum animi statum, quàm leta fuerit, quàm non curauit hominum opiniones de se, quòd putarent eam more aliarum matrum genuisse Puerum Dominum Iesum; & ex omnibus proficere stude.

Tertium Punctum. Considera oblationem Pueri D. Iesu in templo Hierosolymitano factam, post 40. dies Purificationis B. V. exactos: quo scilicet modo à Beatissima Virgine, quo à Christo D. ipso puerulo peracta sit, quàm grato animo suscepta à Deo Patre & SS. Angelis, & in vnione oblationis huius offer te & tua tà bona, quàm mala illa vt cõfortentur augeanturque; hæc vt eradicentur. Offer quoque ipsum Puerum D. Iesum pro his ipsis rebus in odorem suauitatis Domino, vt per ipsum recipias amplam benedictionem è cælo.

Quartum Punctum. Considera causas cur Dominus offerri sibi voluerit post dies Purificationis, vel agnum anniculum in holocaustum & pullum columbarum seu turturam pro peccato, vel si non adesset agnus (vti B. Virgini præ paupertate non adfuit) duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, alterum pro peccato, & piã moralitate adinuentam, fructum inde aliquem spirituales percipe.

Die S. Matthiæ Apostoli.

Primum Punctum. Considera Antecessorem Matthiæ in Apostolatu Iudam, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum: quomodo perdit hoc gradu in Ecclesia D. Dei altissimo, scãdã morte extinctus, locum reliquit S. Matthiæ diuinitus seruatum. Ideo time, ne & tu excidas è tuã statione, & caue ea, per quæ homines excidere solent, facto initio à neglectu rerum paruarum.

Secundum Punctum. Considera modum quo S. Matthias est aggregatus Apostolis, multis nimis præsentibus, duobus candidatis, ad hoc è numero omnium propositis, ipso Matthiæ & Iosepho Barsaba; quã in re pondera, quàm puro affectu, quàm sine respectu inordinati fauoris aut odij, hos selegierint, alios excluderint. Examina te, an in ferendis de personis iudiciis, aut de personarum qualitate vel moribus, affectum aut rectæ rationis dictamen sequaris, & si quid sit corrigendum corrige.

Tertium Punctum. Considera electionem D. Dei diuersam ab humanã. Nam cum Matthiã propositum Iosephum, Iustum procul dubio ob maiorem famam virtutis sic cognominatum, D. Deus non elegit in Apostolatum, sed Matthiam, qui tali titulo decoratus non erat.

Ita Dominus qui nouit corda omnium, sepe magis illos æstimat, qui ab hominibus negliguntur. Tu igitur assece diuina iudicia spectare non humana, illisque placere, illa præambire, secus humana; quòd an facias, vide, & proficere stude.

Quartum Punctum. Considera in te simile beneficium electioni Matthiæ, nam & te D. Deus elegit ad Ordinem Apostolicæ vitæ simillimum, relictis tot aliis melioribus in seculo. Ideo extolle medullitis diuinæ charitatis erga te beneficium, & eius vocationi correspondere stude; tuam & aliorum perfectionem seruo procurando.

De Annuntiatione B. V. Mariæ.

Primum Punctum. Considera mitam Sanctissimæ Trinitatis liberalitatem, ex inuitatã eius bonitate & amore erga genus humanum profectam, quæ vt copiosam faceret nostri redemptionem à seruitute peccati & diaboli, vnam Personam Diuinam, destinavit, ad opus hoc in humanã naturã suscipiendã, perficiendum. Admirare tantam Diuinitatis beneficentiam, collauda & gratias age ex intimo affectu, & practicè delibera, quid proportionatum tantæ liberalitati debeas offerre D. Deo tuo, grati animi ergò, & hoc offer.

Secundum Punctum. Considera S. Angelum legationem hanc peragentem ad Beatissimam Virginem, eius externam compositionem, situm, modum quo allocutus est Virginem, denique omnia eius verba, & internos affectus, quibus suum sermonem animabat: *Aue, inquit, gratiã plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ne timeas Mariã, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit ei D. Deus sedem David Patris eius. & regnabis in Domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: & ex omnibus decerpe pios affectos erga D. Deum, erga Deiparam, erga morum tuorum reformationem. Ponderando præsertim hæc: *Aue gratiã plena, Et, Inuenisti gratiam apud Deum, Et, Regnabis in Domo Iacob in æternum.**

Tertium Punctum. Considera Beatissimam Virginem, quo affectu humilitatis & timoris primò excepit Angelum. *Turbata enim est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista Salutat. En quomodo etiam D. Dei Angelo partum celestem nuncianti noluerit assentiri, ne voto Virginitatis quicquam accideret auersi. Denique modo conceptus & partus sacrosancto & nouo intellecto, assensam præbuit humillimè: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, &c.* ex omnibus proficere stude.*

Quartum Punctum. Considera Dominum Iesum

Iesum post hæc Mariæ verba, in instanti in eius sanctissimo vtero incarnatum; quo affectu se carne nostra velavit verbum Patris æternum, quo affectu anima Christi D. beata, ab eo tempore D. Deum clarè videre incipiens, Patrem æternum adorare amareque cœpit; quo ardore obtulerit se ad omnes misérias, dolores, persecutiones, verbera, calumnias, mortem denique ipsam, tui causâ suscipiendam. Admirare hæc, saluta gratum hospitem, & mirum Benefactorem: Age gratias pro inchoatâ tui redemptione, roga eum, vt perficere perfectam tibi vt efficaciter applicet, & applicatam copiosè conferuet, vsque ad mortem tuam, & vide, quomodo tibi sit cooperandum Christo Domino ita te redimenti: nam non redimet te sine te.

Die S. Adalberti Episc. & Martyris.

Primum Punctum. Considera Christi D. Pastoris amorem, qui animam suam dedit pro ouibus suis, quem cognosces, si ponderaueris excellentiam Christi D. personæ: deinde vitam quam dedit pro ouibus; præterea animum quo illam dedit, denique indignitatem ouium, pro quibus eam dedit. Si ergo Pastor tuus, id tui fecit causâ, quid te malam eius ouiculum decet facere, & pati pro tali Pastore? Cur ergo tam ilibenter pateris, cur tam parum facis?

Secundum Punctum. Considera conditiones mercenarij, qui videns lupum, fugit & oues dimittit. Si Christus Dominus in mercenario improbat quod oues deserat; an non peius est Christum D. Pastorem deserere, vitæ prodigum suæ; an non peius est, eum deserere, non ad lupi, sed ad amici aspectum? Hoc faciunt ij, qui ne contristent amicum, ea faciunt, vel mittunt quæ D. Deo displicent. Si talis es, D. Deum placa, & desine talis esse.

Tertium Punctum. Considera conditionem bonarum ouium Christi Domini: Vocem, inquit, meam audiunt. Vox Christi D. est duplex; Præceptorum & Consiliorum; & horum partim descriptorum in Scriptura & Regulis, partim scribi solitarum D. Dei digito in corde, per internas inspirationes: an & quomodo has Christi D. voces audias, vide, & diligenter audi, & te audire demonstra operibus.

Quartum Punctum. Considera alteram conditionem Christi D. ouium: Et cognoscunt me me. Qui non cognoscit aliquem virum primum, non honorat præsentem, non audit momentem, negat aliqua petenti, non curat longam cum eo conuersationem. Contraria facit, qui cognoscit. Talis erat S. Adalbertus. Tu num talis sis, vide, & talis esse stude.

Die SS. Philippi & Iacobi Apostolor.

Primum Punctum. Considera quàm nostri animi pax sit cordi Domino nostro, qui dixit: Non turbetur cor vestrum. Turbatum enim cor, multa bona excludit & non admittit, multa mala parit quæ ponderabis. Reflectere ergo ad te, an, & cur turberis, & tibi consule.

Secundum Punctum. Considera amplitudinem cœli. In domo Patris mei mansiones multe sunt: id est, gradus gloriæ diuersi, maiores & minores, & quidem tales, qui cum importunitate pene offeruntur nobis, & obruduntur à cœlesti Rege nostro. O si aulicis Regiis importunè offerrentur & obruderentur ampla Sacerdotia, opulenta præfectura, quàm se putarent felices, quàm auidè eas arripere, & non contenti vltimis, ad altissimas aspirarent, idque sine morâ. Talium exemplo confundere, & excita te, ad desiderium magnæ in cœlis gloriæ, non tam ob tuum commodum, sed ob D. Dei gloriam, & consolationem Domini tui, & commendationem meritum Christi D. à quibus promanant dona gratiæ & gloriæ.

Tertium Punctum. Considera Christi D. vnum munus in cœlo: Vado parare vobis locum: & in hoc munere, Christi D. affectum erga nos, diligentiam in parando nobis loco, & efficaciam in tali præparatione. Admirare Christi D. benignitatem erga vermiculos suos & catellos, adora peccus tantâ charitate æstuans: gratias age feruentissimo affectu: & vide quàm ardens esse debeas, in tolerandis pro eo malis omnibus, nullo excepto, nisi peccato, & in faciendis bonis, vt aliquo modo respondeas, tum eius erga te dilectioni, tum ad afflictionem cœlestis beatitudinis te præpares.

Quartum Punctum. Considera promissam adhuc vltiorem Christi D. gratiam: Si præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum vt vbi ego sum, & vos sitis: vtinam agnito hoc excelsi charitatis Christi D. mutuum ei rependas amorem, & talem semper erga ipsum foueas, vt te ipsa verè dicas cum Apostolo Paulo: Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura &c. nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, que est in Christo Iesu Domino nostro.

De S. Stanislao Episc. & Mart.

Primum Punctum. Considera in S. Stanislai vitam, quam ante collatum Episcopatum gessit, has virtutes. **Primò** & Gnesnæ & Parisiis ætatè transactâ, longè à Parentibus, integrâ castitate domum rediit. **Secundò** Præbebat seipsum exemplum operum, in morum integritate, & verbo irreprehensibili. **Tertio** ita vivebat, vt aduersarij eum venerarentur, nec habebant quod ei oppone-

opponerent. Tu confer mores tuos cum talibus eius moribus, confer maiora quæ habes auxilia in Religione, cum minoribus quæ ille habuit in sæculo, & confundere & proficere stude.

Secundum Punctum. Cõsidera zelum eius in Episcopatu, qui nullius rei metu, ne quidem mortis, destitit ab impediendis & Ecclesiastico gladio puniendis etiam Regis ipsius sceleribus. Pondera hanc amoris D. Dei excellentiã, quæ fecit ut sperneret respectus humanos, propter quos tu non omittis omittenda, facis non facienda, & exardescit simili Domini Dei charitate, quã imbutus, malis offendere homines quã D. Deum.

Tertium Punctum. Considera bonã conscientiam S. Stanislai, & causas quæ in eo pepererant tam resolutam fiduciam in D. Deo, ut obtulerit se testem mortuum in veritatis testimoniũ reuocaturum à morte. Vide an tu sentias fiduciam circa res leniores impetrandas à Domino Deo, causasque inquire, cur tam parum audeas, & amovere eas, contrariasque virtutes acquirere stude.

Quartum Punctum. Considera fortitudinem S. Stanislai in perferendã morte crudeli, & D. Dei multiplicia miracula in eius corpore disfecto vniendo, custodiendoque per aquilam & exaltando: & ex omnibus his ad D. Dei amorem sanctique huius imitationẽ te excita.

De B. Aloysio 21. Iunij.

Primum Punctum. Considera indefessum laborem quem B. Aloysius sustinuit, ut se Principatu suo abdicare posset, Patre id nolente, & impediẽte omni conatu: quã multas graues difficultates cum Imperatore aliisque petrupit, idque non alio fine, quã ut ob D. Dei gloriam, compos Societatis fieri posset, Adora cor ad eũ D. Deo plenum, & mundano fastu vacuum. Gratias illi age, quod tanti fecerit Societatis lesu institutum: Gaude quod ad illud vocatus sis, & quidem sine difficultate, tanto bono cumulatus, & vide quanto in pretio debeat esse tua vocatio, pro quã tantopere Angelus iste Dei laborauit. Et magnas D. Deo age gratias, quod tam insigni Personã, Societatem honorauit, non tantũ coram oculis suis sed etiam coram oculis mundi, & agnosce quã cara sit Domino Deo Societatis ista, ad quam Dominus Deus tam selectas mittit personas.

Secundum Punctum. Considera quã sanctẽ B. Aloysius vixerit in mundo, nullo se mortali peccato seclauit: nullam impuram carnis tentationem sensit. Nullam turpem cogitationem, etiam inuitus expertus est. Et tamen tam Domino Deo plenus, Deo tam carus, tam à mundi vulneribus liber, mundum fugit: Discite tu munda

dum execrari, quo tot lethalia vulnera forte inde extulisti. Ama primo post D. Deum loco eiusque gratiam, vocationem tuam, & iuxta eius institutum vive, & peccata in seculo commissa desce amare, & heroicis virtutum actionibus, totã vitã tuã reliquã frequentatis, D. Deo pro illis satisfacere stude, ut ubi abundauit delictum, superabundet & gratia, propter maiorem gloriam D. Dei.

Tertium Punctum. Considera modos varios quibus carnem suam innocentissimam Angelus iste enecabat adhuc in sæculo. Adora carnem eius vigineam, osculare os illud Apostolicã inediã consecratum, manum flagellis se cruciantem, & vide quã debas cum Superiorum licentiã pœnas è tuã carne sumere, quæ Domini Dei filium toties spiritaliter cruciant.

Quartum Punctum. Considera vitam B. Aloysij quoad æquales irreprehensibilem; quoad D. Deum, vniõne seraphicã semper illi immeresum, animam eius, vix vilo leui peccato maculatam, perpetuis autem feruentissimorum operum sacrificiis plenam, & tanquam tabernaculum quoddam Diuinum, D. Deum omni ex parte spirans: Corpus nullo motu inordinato, nullo gestu indecenti indecorum, cor ab inordinatis motibus nunquam perturbatum, sed sanctis agitationibus ac desiderijs, gratissimam D. Deo emittens odorem suauitatis, nunquam ferẽ cessantem. Confer te huic ideæ, confundere, desce tuas sæditates, veniam pete, & statue quantopere eum debeas imitari, propter gustum & consolationem Domini tui.

Die S. Ioannis Baptistæ.

Primum Punctum. Considera primam S. Ioannis Baptistæ prærogatiuam, quod sit ex sterili Matre conceptus & natus, per preces Zachariæ Patris viri sancti impetratus à Domino, Maior D. Dei concursus in eo apparuit, quã in alijs natis ex fecundis Parentibus, & sine præuã oratione. Ita opera illa heroica, quæ cum difficultate intrinsecã fiunt in reipsã inclusã, sunt excellentiora, Dominoque Deo grata magis. Talibus frequentandis assuece, & ea per S. Ioannem Baptistam D. Deo offer.

Secundum Punctum. Considera secundam S. Ioannis Baptistæ prærogatiuam, quia ab Angelo Gabriele eius ortus prænunciatus est Patri, nomenque inditum. Magni faciunt homines, si resciant à Rege sui factam honorificam mentionem: plus est nominari, prædictique ab Angelo. Gratulare S. Ioanni, opta similem felicitatem, immo maiorem, ut scilicet ab ipso D. Deo eũ gustu nomineris in eius mente. Hoc an merearis, & quomodo procures, inquire, & Domini Dei fauorem tibi quã maximum conciliare stude.

Tertium Punctum. Considera tertiam prærogatiuam S. Ioannis Baptistæ, quia prius fuit sanctificatus quam natus: immo repletus Spiritu Sancto adhuc in utero Matris suæ. Tu confer tuam natiuitatem & vitam, & peccata, cum S. Ioanne a deo sancto, ideoque humilia te, deplora multitudinem peccatorum tuorum, & saltem nunc da operam, ut sis plenus S. Spiritu. Quod quomodo consequi possis, delibera.

Quartum Punctum. Considera quartam prærogatiuam S. Ioannis Baptistæ laudem miram eius: *Erit magnus coram Domino:* Quam præclarum est hoc beneficium, quam utile, quam honorificum Hoc æmulare, qualis sis in conspectu D. Dei, pondera, & propter magnum gustum D. Dei, magnus quoque esse cura, ad quod quid sit necessarium cogita, & proficere stude.

Die SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Primum Punctum. Considera verba illa Christi D. Discipulis dicta: *Quem dicunt homines esse Filium hominis:* & ea ad te applica, cogitando quid de te dicant alij, ij maximè qui rectius iudicant. Et si quid mali dicunt falsò, gaude; gratias D. Deo age: ora pro talibus: sin verè, emendare citò stude.

Secundum Punctum. Considera responsum Discipulorum, qui etsi scirent mala mala de Christo D. dici à malignis, ea tamen in genere etiam tacent, sed bona tantum dicunt: *Alij Ioannem Baptistam alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Tu itane respondes similia quærentibus, immo non quærentibus? & si quid dignum deploratione & correctione inuenis, deplora & corrige, & seminare discordias noli.

Tertium Punctum. Considera Petri de Christo D. testimonium: *Tu es Christus Filius Dei viui:* idè tu ex intimo affectu dic Christo D. anathematizando omnes hæreses, eius dignitati & fidei contrarias. Gratias age quod sis hac verà fide imbutus, tu & alij, præsertim ij, qui à malà fide conuersi sunt ad fidem Catholicam. Ora pro conuersione plurium, & da operam, ut in filiatione D. Dei adoptiuà, quæ fit per gratiam iustificantiem, crescas magis ac magis semper, & vide an id procures.

Quartum Punctum. Considera præmia S. Petro data à Christo D. pro confessione sincera: *Tu es Petrus, seu Petra, & super hanc ædificabo Ecclesiam meam: portis inferi potentiores, & tibi dabo clauas Regni cælorum. & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis:* singulorum magnitudinem expende, quomodo etiam ad te eadem beneficia deriuentur, vide suo modo, & varios affectus pios erga Christum Dominum, & erga S. Petrum excita.

Lancicij Opus. Tom. 2.

Die Visitationis B.M.V.

Primum Punctum. Considera Humilitatem Mariæ quæ Mater Dei facta, euecta ad summam post Christum Dominum dignitatem, abiit ad visitandam Elizabeth. Examina mores tuos, an in eis splendeat talis humiliatio: quam sæpe detrectas eoque, quo deberes, spiritu superbiæ inflatus, quam sæpe honores in te mutant mores.

Secundum Punctum. Considera velocitatem Beatissimæ Virginis in aduenda S. Elizabeth: *Abiit in montana cum festinatione:* qui citò dabis dat. Hoc in D. Dei obsequio imitare, an autem ita facias vide, & ad feruorem in profectu spirituali te excita.

Tertium Punctum. Considera salutationem Elizabeth à Sanctissima Virgine profectam, quomodo etsi dignior, eam præuenit salutatione, & eà prolatà, *Exultauit infans Ioannes Baptistæ in utero B. Matris, & repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.* Omnia hæc expende, & ad morum tuorum institutionem refer.

Quartum Punctum. Considera verba Elizabeth ad Beatissimam V. Mariam: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. & vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Singula perpende, & ex his proficere stude.

De S. Maria Magdalena.

Primum Punctum. Considera statum Magdalene, ante conuersionem à peccatis, & confer tuum quoque in sæculo statum, cum illà, & actus humilitatis, doloris de peccatis, ac contritionis excita.

Secundum Punctum. Considera feruorem Magdalene in detestandis ac defendendis publicè peccatis. Non erubuit homines, non subterfugit locum conuiuij frequentis, non erubuit Christi Domini pedibus aduolui, eos, stando retrò, lachrymis rigare, vngere, capillis sui capitis tergere, osculari. Tu qui secutus es errantem, imitare penitentem, & practicè delibera, quomodo hos actus Magdalene, ex animo peccatorum grauitatem agnoscente, exprime re imitando debeas.

Tertium Punctum. Considera iudicium temerarium Simonis Pharisæi: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis mulier est, quæ tangit eum, quia peccatrix est:* quali verò vel omnia scire debeant Propheta, vel si sciant, omnia quæ Prophetice sciunt, se scire ostendant. Hic tua examina iudicia, quam sæpe doctrinam, prudentiam, experientiã iudiciũ, ingenium, sermones, conciones, cõuersationes, virtutè deniq; condennas ineptè & temerè, & cum alterius iniuria.

Cccc Agnosce

Agnosce pericula quæ inde oriuntur in conscientia tua damnum, & damna proximi fame, & si quid est corrigendum, corrige.

Quartum Punctum. Considera dulcissimum cor Domini Iesu peccatricem absoluentis, & adhuc prius laudantis coram Phariseo, quod quæ ipse non exhibuisset, illa fecisset, lachrymis loco aquæ pedes rigando, & capillis terendo, & osculando & vngendo: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ad illam verò: *Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Gratulate S. Magdalene, desiderata eandem felicitatem, à Christo Domino ardentem pete, quod assequeris, si eum feruenter dilexeris.

Die S. Iacobi Apostoli.

Primum Punctum. Considera petitionem Martiris S. Iacobi & S. Ioannis Apostoli: *Dis ut sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, alter ad sinistram tuam in regno tuo.* Quem in pia Matre multi affectum immoderatum vocant, excusant tamen materna viscera: vt vt est tu sancto desiderio accendere, ob Domini Dei gloriam & gustum, & demonis confusionem, attingendi quam altissimum locum in celo, vt ita magis D. Deum colere & amare ibi possis. Quâ ratione autem id possis consequi, delibera, & manum operi admoue.

Secundum Punctum. Considera Christi Domini responsum: *Nescitis quid petatis: quod responsum & illis conuenit, qui tunc ignorabant, quàm bonum esset sedere ad latera Christi Domini, & tibi, qui multa petis & desideras non petenda.* Discurte per tua desideria circa res, circa personas, circa loca, circa occupationes: & singula tanquam ad lydium lapidem refer ad vocationem tuam, quæ esse debet Christi D. paupertatis, patientiæ, humilitatisque imitatio, & refecanda refeca.

Tertium Punctum. Considera viam quâ Christus D. iudicat ad consequendam sessionem ad latus suum: *Potesis bibere calicem: id est, passionem subire, mortemque: quem ego bibiturus sum.* Crucis via, est via ad altos accubitus in celo. Hanc an amas, & cur amare & ferre debeas, recogita, & contritio in te affectus redargue, & Christum Dominum in eâ ferendam iuuua, quia ad hoc ipsum adscitus es ab eò in hanc sacram militiam.

Quartum Punctum. Considera quomodo S. Iacobus biberit hunc calicem: primus enim Apostolorum, profuso sanguine Ierosolymis in capitis abscissione testimonium Iesu Christo reddidit Act. 12. 2. Confer cum hoc calice, & cum vitâ S. Iacobi laboribus plenâ, miserisq; quas tolerauit, Christi D. fidem prædicans, in Iudæâ, Samariâ, & Hispaniâ, omnes tuas afflictiones & labores, quam sint parui & fere nulli, eius

laboribus comparati: & tamen quàm læpagemis sub stramine pondere, & offerens te ad martyria pro fide, verbum vnum ferre non potes æquo animo, & quandoque eas ipse tibi cruces, vanis apprehensionibus imponis, de quibus nemo somniauit. Hæc corrige, & te vitæ Apostolicæ conforma.

De S. Patre Ignatio.

Primum Punctum. Considera Sanctitatem Sancti Patris tui, quæ ante Sacerdotium susceptum in seculari statu fuit ornatus; summam eius patientiam in persecutionibus magnis, constantiam in propagando Domini Dei cultu, nullis aduersitatibus cedentem, Ardorem in studio perfectionis rarum, carnis assiduum macerationem in victu & cultu, zelum animarum indefessum, contemptum omnis honoris & commodorum, conscientiam tantam puritatem, vt non modò mortem non metueret, sed eius cogitatione adueniente totus diuinâ voluptate diffunderet. Talis an sis in statu Religioso, examina te, & Patri Sancto te conforma.

Secundum Punctum. Considera qualem castitatem mentis & corporis à te exigar S. Pater, non minorem Angelicâ. Talem an habeas, vide, & quid tibi delit, agnosce, & assequi stude.

Tertium Punctum. Considera qualis paupertatis voluerit te esse sectatorem, vt scilicet victus, vestitus & lectus ratio, si vt pauperibus accomodata, & vt ex eis que domi sunt, viliissima expectas. Hoc an in te sit, inquire, & quid emendandum sit, statue.

Quartum Punctum. Considera qualem obedientiam tibi commendauit, vt in omnibus præter peccatum, cuius Officiali obedias tanquam Christo Domino, & opere & affectu, & iudicij conformitate, non expectando præcepta, sed solum signum voluntatis Superioris amplectendo instar præcepti. Et hanc virtutem, tanquam essentialem tesseram Societatem ab aliis Ordinibus segregantem esse voluit. Tu quomodo te geras hac in parte, considera, si benè, gratias age D. Deo, sin male, humilia te, veniam à D. Deo & S. Patre pete, eiusque opem implora ad hoc, & ad omnes Societatis Regulas sanctæ semper seruandas.

Die S. Laurentij Martyris.

Primum Punctum. Considera causas ob quas à Domino Deo grano frumenti comparatur, maxime dum seminatur & moritur, & spiritualiter applicato animæ grani frumenti vsu, profice.

Secundum Punctum. Considera Christi D. grauem sententiam: *qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam: & vide, an tu amas vel odis animam tuam in hoc mundo, & statua quid*

quid tibi sit faciendum, vt eam in vitam æternam custodias.

Tertium Punctum. Considera obligationem tuam de Christo D. sequendo. *Si quis mihi ministraverit, me sequatur:* & vide quid sit eum sequi, & quâ in re à te id demonstrari debeat in particulari, vt statuas quid tibi in posterum sit faciendum quidue vitandum.

Quartum Punctum. Considera quomodo S. Laurentius odio animam suam habuit, & Christum D. secutus est, & quale præmium obtinuit in hac & in alterâ vitâ, eiusque exemplo excita te ad seriam Christi Domini imitationem in carnis præsertim mortificatione, & patientiâ in aduersis, vsque ad contemptum mortis & famæ.

Die Assumptionis B. V. M.

Primum Punctum. Considera statum in quo fuit anima Beatissimæ Virginis morti proximè erga homines, erga Dominum Deum, erga conscientiam propriam, & vide an tibi sit speranda proportionata quies lætitiæque, in illa vltimâ horâ. Vnde sequitur, ea nunc amouenda à te esse, quæ illam impediunt, & comparanda quæ iuuant.

Secundum Punctum. Considera pios affectus Discipulorum Christi Domini Beatissimæ Virginis moribundæ astantium, quibus te quoque adesse in Spiritu puta, & similes in te affectus excita.

Tertium Punctum. Considera ipsum abscissum animæ ex corpore Virginis rectâ ad cælos petentis sine vllis purgatorij impedimentis, magnumque Angelorum Sanctorum comitatum: & cogita quid tibi sit faciendum, vt similiter ad cælum eas.

Quartum Punctum. Considera modum quo fuit Beatissima Virgo in cælum recepta & in folio gloriæ collocata, & simul causas tantæ gloriæ perpende, & à Beatissima Virgine pete, vt te quàm simillimum sibi efficiat, propter maiorem gloriam D. Dei & consolatione eius, & commendationem meritorum Filij eius.

Die S. Bartholomæi Apostoli.

Primum Punctum. Considera Christi Domini orantis situm corporis, sensuum ac membrorum in illâ longâ oratione quam præmisit electioni S. Bartholomæi in Apostolatam, cõpositionem, quomodo se gesserit in vsu oculorum, manuum, pedum, linguæ, oris, situ denique corporis totius: & hinc necessaria excerpe documenta pro morum tuorum reformatione, quoad res tuas externas in oratione.

Secundum Punctum. Considera internum statum animæ Christi D. quem habuit in oratione, quomodo occupauit intellectum orando,

Lancij Opusc. Tom. 2.

quâ attentione, quibus cogitationibus, circa quæ obiecta, quomodo item voluntatem suam habuerit occupatam, in quibus affectibus respectu Dei Patris, ad quem orabat, & respectu hominum pro quibus orabat. Confer deinde tuæ orationis statum internum, & agnitâ magnâ differentiâ, in posterum Christo D. te conformare stude.

Tertium Punctum. Considera circumstantias orationis Christi D. *Primo*, quia exierit orare in montem, remotum locum à turba. *Secundo*, quod ad eam orationem exierit non solus, sed cum Discipulis, vt notat S. Ambrosius, tribus: *Tertio*, quod noctu orauerit, tempore quieto, adimens sibi tempus pro somno necessarium: *Quarto*, quod diu orauerit, scilicet totâ nocte, & ex singulis decerpe necessaria monita pro tui reformatione.

Quartum Punctum. Considera quod Christus D. in oratione illa petierit, non res sibi necessarias, sed aliis: si ergo tam diu orauit pro alienis, quantò magis oportet te orare pro tot tuis necessitatibus, & quidem magno feruore. Id an facias, inquire, & te emenda.

De eodem Euangelio pro 25. Augusti.

Primum Punctum. Considera causas ob quas illa oratio, quam Christus Dominus totâ nocte fudit, vocetur *oratio Dei*. Erat, inquit, *pernoctans in oratione Dei*: causas autem inuenies, si consideraueris, Christum Dominum qui orauit, fuisse Deum, & eum ad quem orauit, & tam perfecta oratione, vt mereatur dici, *Oratio Dei*, & tam Domino Deo grata, & adeo expetita ab illo, etiam in nobis, vt etiam ob hoc præter alia mereatur hunc titulû, Singula istorum expende, & decerpe necessaria pro te documenta.

Secundum Punctum. Considera occasionem in quâ Christus Dominus tam diu orauit, scilicet electionem duodecim Personarum ad Apostolatam, quod fuit officium Domino Deo lucrandi homines, prædicatione doctrinæ Euangelicæ, & Sacramentorum administratione. Cuius officij excellentiam indicat, tam longa Christi Domini oratio, cum enim vt Deus, potuerit illa omnia sine oratione præuiâ præstare, ad quæ à Patre impetranda, tam longam orationem præmisit, volens illam vt homo præmittere, ostendit rem esse arduam & præstantem: vnde duo affecta tenet ro decerpe. *Primo*, Quàm cara fuerit salus tua Domino tuo, qui Milistros & adiutores salutis tuæ, cum tantâ præparatione & labore suo quesierit. *Secundo*, Quàm multum debeas Christo D. qui te vocando ad Religionem, ad munia Apostolorum benignè vocauit: Et ex utroque capite illos erga Dominum Deum affectus in te excita,

excita, quos te grati animi causâ excitare par est.

Tertium Punctum. Considera inter electos præviâ Christi D. oratione Apostolos, fuisse Iudam proditorem; unde disce & practicè inprimè mēti tuâ; nunquam condemnare tanquam malas & imperfectas illas actiones, ex quibus aliquando mali euentus sequuntur, vel aliqui abusus, vel hominum offensiones, vel mali fines, vel quid simile: quod tamen causâ imputari non debet; sicut nec Iudæ malus exitus arguit Christi Domini malam fuisse electionem, aut non sufficientem orationem.

Quartum Punctum. Considera cur ij qui Christum D. tangebant, sanabantur; tu verd eum non tantum tangis, sed etiam in Eucharistia comedis, idque læpe, & tamen non sanaris ab iis infirmitatibus animæ quæ sunt curatu faciliores, quàm morbi: quorum curatio non est sita in tuâ voluntate. Et hinc collige quibus in rebus te emendare debeas.

De Natiuitate B. V. Mariæ.

Primum Punctum. Considera statum Beatissimæ Virginis Mariæ, quem ante suam Natiuitatem habuit in mente Domini Dei, idque ab æterno, hic autem status in tribus consistit. *Primo;* quod in D. Deo tanquam in ideâ creaturarum omnium nulla pura creatura in sua substantiâ completâ, fuit tam perfecta & pulchra, uti fuit B. V. *Secundo;* quia nulla pura creatura, fuit destinata ad tam magnas res, uti Beatissima Virgo. *Tertio;* quia nullam creaturam D. Deus ab æterno in se enim tanto gustu considerabat ut futuram, sicut B. Virginem. Ideo congratulare, gaude, Domino Deo gratias age, & perpende quàm pulchra res sit, placere D. Deo, esse gratum obiectum D. Deo; exhilarare obiectuè cor Domini Dei tui. Hoc expe-te, & à D. Deo pete, & impedimenta huius rei amouere à te stude.

Secundum Punctum. Considera statum B. Virginis in mundo, ante eius Natiuitatem, quod scilicet in vtero suæ Matris fuerit sine peccato originali, præuenta à Domini Dei gratiâ. Quâ in re agnosce & admira te Domini Dei benig-nitatem, qui sine eius meritis, eam tali beneficio affectit, & opta similem D. Dei tui gratiam, ne tua merita expectans, quæ tuis viribus habere nequis, impleat te donis suis idque Beatissimæ Virgini, tibi ut hoc impetret, com-menda.

Tertium Punctum. Considera ipsam eius Natiuitatem quàm fuerit excellentior omnium purorum hominum Abrahami; Isaac; Iacobi; Moysis; Davidis; Ioannis Baptistæ & aliorum Sanctorum, considerando ea quibus eos superauit nascens Virgo, & ex singulis fru-

ctum aliquem spirituales practicum decerpe. *Quartum Punctum.* Considera quid debes Beatissimæ Virgini natæ offerre donarij ex parte tuâ, quidue ab eâ pro te & pro aliorum necessitatibus petere: offer ergo ea, pete necessaria, & vnâ cum Virgine natâ vniens oblationes & petitiones tuas, eas SS. Trinitati representata ad gloriam ipsius.

De Exaltatione S. Crucis Ioan. 12.

Primum Punctum. Considera illa Christi Domini verba: *Nunc iudicium est mundi:* quibus significatur tam deprauatum esse statum sæculi huius, ut de eo dici possit, quod perpetuo subit iudicio Domini Dei, ob varia & innumera mala quibus secat. Gratias Domino Deo age, quod te liberauerit ex statu sæculari, & transfulerit in regiam suam: sed ex altera parte ita viuè, ne vita tua mereatur citari ad iudicium Domini Dei, & subesse seuerio iudicio Domini Dei.

Secundum Punctum. Considera alia Christi D. verba: *Nunc Princeps huius mundi* (scilicet diabolus) *eiicitur foras:* & introspecte an demon habeat aliquem locum in animâ tuâ, quod cognosces ex tribus signis. *Primo;* ex peccatis, si ea deliberatè committis. *Secundo;* ex tentationibus grauib; & importunis. *Tertio;* ex dicaminibus contrariis vitæ Religiosæ & tui Ordinis propriis. Examina ergo te, & si quid à demone feminatum in animâ tuâ repereris, excute, & eius omnes reliquias eice.

Tertium Punctum. Considera & illa Christi Domini verba: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* & in his verbis perpende Christi Domini Crucifixi fructum, qui crucis suæ, *Primo;* meritis; *Secundo;* exemplis, trahere deberet omnes nos, ad participationem meritum suorum, & ad imitationem exemplorum suorum. Tu vide an ita te geras, uti gerunt se ij, qui Christi Domini meritis pleni sunt, & uti procedunt ij, qui Christum D. crucifixum in mortificatione imitantur. Et talis esse stude.

Quartum Punctum. Considera & illa Christi Domini verba: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebra vos comprehendant:* & tibi puta dicta hæc verba, quem Dominus Deus illuminat variis modis interioribus, & exterioribus per Angelos, per homines, perlectionem, exempla &c. ut decilines ab imperfectiõibus, & bonis exemplis te impendas, & opera ordinaria perfecte facias. Vide ergo an hoc diuino lumine vtaris, ad vtilitatem tuam, & quod rectum non est amputa, & te diuinis illuminationibus mergorum præbe.

Die S. Matthæi Apostoli.

Die S. Michaelis Archangeli.

Primum Punctum. Considera vitam Christi D. electionem, quâ Apostolos sibi aggregat, non è flore, sed è fece mundi. Ita hodie elegit Matthæum in telonio sedentem. Admirare Christi D. benignitatem, qui non dedignatur talibus adiutoribus se stipare, nec sanguinis, nec officij, nec virtutis excellentiâ ornatis. Ideoque magnâ concipies spem, posse te quoque in numerum Christi D. dilectorum venire, tuis non obstantibus peccatis, & multiplici indignitate: rogam tamen eum ardentem, vt qui non rogantem ludæum, suorum in numerum cooperavit, te Christianum & Religiosum sibi caris aggregare velit.

Secundum Punctum. Considera efficaciam Christi D. verborum, qui sine longis concionibus, aut iteratâ vocatione, vt primum dixit Matthæo: *Sequere me, statim surrexit, & secutus est Iesum.* Hic admirare efficaciam Diuinæ gratiæ, quæ tam citò, rem tam arduam, qualis est conuersio hominis, a mori diuitiarum inhiantis, perfectit. Ex alterâ parte inquire, cur tu non habens talia retinacula, tamè Christum D. te vocantem ad res faciliores non sequeris? Et deploratâ tuâ obliuione, & quasi Christi D. contemptu, exhibeas te Christo D. morigerum, & ad amulsum eius præcepta & consilia interna exequere.

Tertium Punctum. Considera Matthæi Humilitatem, quam duabus in rebus (describens suâ conuersionem) clarè ostendit. *Primo* enim proprium suum nomen apposuit, quòd alij Evangelistæ non fecerunt, dum eius sub cognomine Iesui, conuersionem narrant, ille suum nomen exprimit & officium, vt ita se confunderet magis causâ Christi Domini. *Secundò.* Conuiuium non describit, quòd in sua domo Christum D. excepit, quòd vocatus est ab eo, quòd alij commemorant, vt etiam occultatione huius suæ gratitudinis, Humilitatis studium foueret. Tu confer exempla hæc cum moribus tuis, inuenies enim te mala tua occultare, quando patefacienda sunt, & bona si quæ sunt, vanè proptulare, quando occultanda essent; actis denique S. Matthæo gratias, quòd Dominum Iesum conuicio exceperit, proponè emendationem in superbiæ & vanitatis mortificatione.

Quartum Punctum. Considera plena consolationis verba Christi D. quæ Phariseis murmurantibus, quòd cum peccatoribus ageret, dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores: non est opus bene valentibus medico, sed male valentibus.* Gratias age D. Deo tu peccator pro tali promptitudine Christi D. ad conuertendum te, statue te ante illum maxime in communionem, & ardentem roga, vt te sanet, ideoque varios ei morbos tanquam medico benignissimo ostende, & misericordiam pete.

Primum Punctum. Considera verba Christi D. de aduocato paruulo & in medio Discipulorum constituto: *Amen dico vobis, nisi conuersueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum:* in quibus verbis tres præter alias paruulorum laudes perpende. *Primo* quòd sine ficto dolo & actu viuant. *Secundò,* quòd puri sint: *Tertio,* quòd tractabiles & prompti ad exequenda imperata. Tu an talis sis in his rebus, quibus te possis commendare D. Deo, vide, confundere & te emenda.

Secundum Punctum. Considera alia Christi Domini verba: *Quicumq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Examina ergo cogitationes tuas, desideria, offensiones internas, amaritudines animæ, gestus, motus, dicta, actus, an sapiant hanc paruulorum innocentiam & humilitatem, & corrigenda corrige.

Tertium Punctum. Considera quantopere sint cauenda scandala, quorum occasione tam seueram pronunciat sententiam: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria collo eius, & demergatur in profundum maris. Vt mundo à scandalis: vti illi homini per quem scandalum venit: si oculus tuus, vel manus tua, vel pes scandalizat te, erue, absconde & proiice abs te.* Inspice itaque mores tuos, an domi & foris ita te geras vt immunis sis à malis exemplis, & si quid emendandum aduerteris, emenda, consideratis causis ob quas id facere debeas.

Quartum Punctum. Considera dignitatem tuam quam assecutus es ex Domini Dei beneficio. Nam & tibi illud congruit Christi D. dictum: *Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Gratias itaque age Domino Deo tuo quòd tales tibi dederit defensores & duces, eisdem nimirum quos fecit curiæ suæ cælestis honorarios Assessores; & imitare D. Dei benignitatem, ac Angelis & prefertim S. Michaeli omnium Principi humillimas age gratias, quòd cum sint excellentis naturæ, tam pleni cælesti gloriâ, non dedignantur esse Patroni tui. Ex alterâ parte inspicere mores tuos, an tales sint quibus non offendantur Angelij, an tales, qui ostendant te obedire ducti & directioni Angelicæ. Quod si aliqua inuenies deploranda, deplora, & emendanda emenda. Ac veniam à Christo Iesu, Beatissima Virgine Maria, & à SS. Angelis pete, emendationemque eis in aliquibus rebus particularibus promitte.

De S. Angelo Custode.

Primum Punctum. Considera miram D. Dei benignitatem, qui singulis hominibus etiā pessimis, a Natiuitate eorum dat & ad finem mundi etiā ipsi Antichristo daturus est Angelum Custodem, cuius officium est, hominem suæ curæ commissum variis modis à peccatis auocare, & à malis mentis & corporis defendere, ac inducere in bonum, Quam D. Dei benignitatem ex tribus agnosce. *Primo*, ex præstantiâ naturæ Angelicæ, quæ longè superat humanam. *Secundo*, ex multiplici hominum indignitate, tum naturali ex naturæ defectibus ortâ, tum morali ex tot peccatis perpetuò pullulante. *Tertio*, ex statu in quo omnes hi Angeli sunt in cælo, perpetuò D. Dei faciem in summâ gloriâ intuentes. Gratias ergo D. Deo age ingentes, & SS. Angelis, & cogita quàm gratus esse debeas & D. Deo & S. Angelis suo modo.

Secundum Punctum. Considera humilitatem, vt ita dicam, SS. Angelorum, qui & naturæ donis & gratiæ & gloriæ te superantes, tamē non dedignantur esse *administratorij Spiritus*, vt loquitur Apostolus Hebr. *i. nisi in ministeriū*, hoc est ad seruendū eis; qui *hereditatem capiūt salutis*: immò & eorum, qui de ea nil boni credunt. Nulla autem alia causa est, quod tantopere se Angeli demittant, quàm sola voluntas D. Dei, qui id ab eis exigit, & amor nostri, quos omnes saluos esse & ab omni malo liberos bonoque omni plenos vellēt. Inspice ergo te, an tu te demittas, ad obsequia respectu tui ita humilia, vti est cura nostri respectu Angelorum: An tui alios ames purè, vti illi nos amant, & ad exemplum illorum mores tuos conforma.

Tertium Punctum. Considera modum quo SS. Angeli te custodiunt, triplicè. *Primo* enim precibus pro te, partim in cælo, partim è terra suffis, te iuuant. *Secundo* per internas inspirationes te dirigunt, quod facere non possunt dum sunt in cælo, quia non possunt agere in distans, atq; ita intra te existendo, & species commouendo in capite, varia obiecta tibi repræsentant, per quæ cognoscas mala vitanda, bona faciēda. *Tertio*, extrinsecè defendunt te, amouendo multa mala & pericula, vel te à multis malis & periculis eripiendo, vel mala ipsa impēdientia subtrahendo. Vnde gratis tenerrimis actis, pro hac triplici custodia, vide quomodo te gerere debeas, vt eorum custodiæ correspondeas.

Quantum Punctum. Considera quo affectu tuus Angelus in tui custodiâ versetur, an scilicet des illi lætitiæ, aut loquendo, nostro more, mœroris causam: & prout in te inuenieris, proportionatum affectum elicias, vel gratiarum actionis, vel doloris, & veniâ ab illo imploratâ, promitte illi emendationem, & te tuæque ei commenda ardentè.

De B. Francisco Borgia 1. Octobris.

Primum Punctum. Considera qualis fuerit Beati Francisci è familia Ducum oriendi ab ineunte ætate mortificatio, & quòd à decimo anno corpus disciplinis affixerit, quas etiam in aulâ & negotiis secularibus continuauit, vbi piam & valde exemplarem vitam duxit. Compara tuâ ætatem & iuuentutem cum illius moribus & mortificatione, & dissimilem inuenies. Erubescere, desine, & præteritorum veniam pete.

Secundum Punctum. Considera quæ nâ fuerit occasio in illo contemptus mundi, & desiderij perfectioris status, & desiderij Imperatricis post mortem cadauer deforme & fetidum; hoc spectaculum in suis ipsius vilitatisque propriæ exactam cognitionem illum deduxit, & tam altis in eo egit radicibus, vt de perfectioris vite statu feruor inceptis cogitare, donec ab aliis impedimentis liber, D. Dei cognoscens voluntatem in Societatem à S. Patre Ignatio admitteretur, relictis honoribus, Ducatu, diuitiis, & omnibus sæculi commoditatibus. Vide quoties occasionem habueris, vt in tui deuenires cognitionem & D. Dei voluntatem agnosceres, & quàm fueris in tua vocatione instabilis sæpe, & dubius, & quomodo à D. Deo ad Religionē indignus licet ductus fueris: Gratias age pro hoc beneficio, propone constantiam, pete auxilium.

Tertium Punctum. Considera qualem se præbuerit in Religione à primo ingressus die, quomodo fuerit quasi lux splendens quæ processit & creuit vsque ad perfectam diē, præsertim in humilitate, non alio se subscribens nomine in literis quàm peccatoris, in suis ipsius contemptum: deinde qualis fuerit in mortificatione assiduâ carnis, sensuum, passionum, iudicij proprij & voluntatis, in obedientiâ exactissimâ, in paupertate summâ. Gratias age D. Deo, quod tale nobis in illo exemplar reliquerit, inspice quantum ab ipsius distes virtutibus, licet ad easdem obliueris. Inquire media ad eas obtinendas, certoque tibi persuade, te sine illis solo Religiosi nomine gaudere.

Quantum Punctum. Considera D. Dei cum hoc sancto liberalitatem, qui adeo breuem ipsius in hac vita contemptum, humilitatem, aliaque virtutes, magnâ gloriâ compensando, nomen ipsius ad eū in hoc mundo omnibus hominibus innotescere fecit; & in futuro sæculo pro momentanea & leui tribulatione æternâ & immensum illi gloriæ pōdus contulit. Et vide quid tibi patiendum & faciendum sit, vt ad illum terminum peruenias. Aspira ad Heroicorum virtutum exercitium, si magnam hic D. Dei gratiam, & ibi gloriâ consequi cupis. Et D. Deo gratias age quòd tali Sancto Societatem ornare voluerit.

De B. Stanislao Kofka.

Primum Punctum. Considera quomodo B. Stanislauus in saeculo ante ingressum in Societatem, obseruauit Domini Dei & Ecclesiae praecipua: nimirum nullam in graui re est illa transgressus. Tu confer vitam tuam cum vita illius, & agnita magna diuersitate, humiliter, desse peccata tua, & eo intercessore adhibito, pete a Domino eorum remissionem, & cogita ac apud te statue, quid debeas praestare, ut Dominum tuum reddas placatum, eique satisfacias in Religione pro tot & tantis saeculi peccatis.

Secundum Punctum. Considera modum viuendi B. Stanislai in saeculo ex lectione vel auditione eius vitae agniti. Quomodo se gesserit in templo, in Schola, in hospicio, in conuersatione, in oratione, ad mensam: & facta reflexione ad tuum praesentem modum in his locis & occasionibus agnosce quantopere te Religiosum, ille adhuc saecularis superauit, ideoque erubescere, & ab eo pete, ut ita in Religione uiuas, quemadmodum ille saecularis uixit in saeculo.

Tertium Punctum. Considera vitam B. Stanislai in Societate, quomodo uota seruauit ac Regulas, quomodo ex seruire suo addiderit alia, quae a Regulis Societatis non erant illi praescripta. Ex altera parte confer vitam tuam in Societate, quoad obseruationem uotorum, Regularum, ac Inspirationum, quas tibi Dominus Deus communicat, & uide quid in his rebus corrigere debeas, ut placeas Domino Deo tuo.

Quartum Punctum. Considera statum B. Stanislai duplicem, unum in Ecclesia militante, alterum in Ecclesia triumphante. In Ecclesia militante, quanto sit in honore ubique, & quidem vnus iuuenis 19 annos natus, & quidem vnus Nouitius, idque extra patriam mortuus. In triumphante uero, quibus nunc plenus sit diuitiis, deliciis, honoribus. Gratulare ergo ei hanc duplicem felicitatem, Domino Deo gratias age, tanquam auctori utriusque; denique ab eo pete, tibi ut impetret, quo possis serio & efficaciter uiuere ac mori in Religione, iuxta Spiritum eius uiuendo, & quam maxima ob D. Dei gloriam merita ac praemia cumulare.

Die SS. Simonis & Iudae Apostolorum.

Primum Punctum. Considera curam quam Christus Dominus nostri habet, dum non consilium sed praecipuum, uerbis significantibus proponit: *Hec mando uobis, ut diligatis inimicum*: ut ita nobis persuadeat efficacius, mutua charitatem. Tu quomodo Christi Domini mandato obedias, examina te, adductis

in memoriam iis personis, ad quas non usque adeo propendes, ut uideas, quae desint ad officia sinceram dilectionis, illis exhibenda potissimum a quibus aliquid passus es.

Secundum Punctum. Considera causam desiderabilis odij seruus Domini Dei, scilicet uitam a mundana discrepantem: *Quia de mundo non estis, propterea odit uos mundus.* Vide an odio sis mundo, & quam ob causam; si propter mores tuos inconditos, merito id pateris, si quia ne displiceas D. Deo, non uiuis ad gustum hominum imperfectorum; beatus es; gaude & exulta, quia hoc est pati propter iustitiam, & Christo Domino conformari.

Tertium Punctum. Considera illa uerba Christi Domini: *non est seruus maior Domino suo* & ex his bene cognitis, assuesce in rebus omnibus deteriora eligere, citra peccatum, in victu, vestitu, habitatione, usu rerum aliarum, in contumeliis, conuiciis, calumniis, iniuriisque aliis, quia seruus non debet esse melioris conditionis (quam sit Dominus tuus) qui tui causa, haec omnia summo cum gaudio tolerauit. Hoc ergo exemplo accendere ad heroicam tui uictoriam, in rebus omnibus, tuo gustui, uoluntati, iudicio, commodo, honori praesertim contrariis, & bonae fama ac opinioni de te aliorum.

Quartum Punctum. Considera nullam te habere causam excusandi imperfectiones tuas, post tot Christi Domini praemia & Sancta exempla, tibi que conuenire suo modo illa uerba Christi Domini: *Si non uenissem & locutus es non fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quibus ponderatis, da operam, ut rebus ipsis & factis ostendas, te exequi ea omnia, quae Christus Dominus uerbis & exemplis docuit.

In dedicatione templi.

Primum Punctum. Considera primum modum, quo Tempora Domino Deo dicata honorari debeant, scilicet, uitando in eis omnes impuras, & turpes actiones, etsi alibi licitas. Cum ergo Domino tuo dicatus sis anima & corpore, uide quomodo ab illicitis turpitudinibus; mundus omnino esse debeas. Confundere itaque, deplora peccata tua, quibus tam saepe inhonoras hoc templum, & seruo te emenda & purum conserua, propter gustum Domini in te habitantis.

Secundum Punctum. Considera secundum modum quo Tempora honorantur die & nocte, precibus & sacrificiis Domino offerendis; hinc agnosce, quomodo debeas perpetuo, quantum fieri potest, actiones tuas ita Domino Deo offerre, & pro Domino Deo elicere, ut sis perpetuum sacrificium Domino Deo spargens odorem suauitatis. Talis an sis, uide, & talis esse stude.

Tertium Punctum. Considera modum qui Tempia cohonestat, esse ornatum varium, sumque non prophanum sed sacrum, Sacras picturas, & similia. Tu animam tuam introspecte, quas intra, quas in oculis, alijsque sensibus representationes foueat, & statue, quid te deceat: cum etiam membra tua, vocet Apostolus, *templum Spiritus Sancti*; non tantum animam.

Quartum Punctum. Considera quartum modum honorandi Tempia quod eius suppellectilem Sacram, non liceat ad vsus vanos conuerrere, ob D. Dei reuerentiam, cui sunt dicata. Cur ergo tu linguam tuam, non sacris occupas colloquijs; oculos, non necessarijs aspectibus, & sic alia. Exardece igitur desiderio ingenti, ita mundum & Sacrosanctum reddere D. Dei ope, animum & corpus tuum, cum omnibus potentijs, membris, sensibus & actionibus eorum, ut in te habitet cum magno gustu suo Spiritus S. immo omnes Diuinae Personae, & Sancti Angeli, tanquam huius Templi Ministri, & curatores libenter assistant, & omnia impura arceant.

PRO COLLECTIONE ANTE RENOUATIONEM VOTORVM.

DVM per triduum sit ante illam Collectio, pro qua sunt hic posita puncta quaternaria pro singulis meditationibus, si quis ter in die illas, facere voluerit. Prima de renouatione amoris erga animam fieri potest pridie tridui, undecima vero, ipso die renouationis. Qui vero quatuor Meditationes vult facere, singulis diebus (uti olim fiebat, à non occupatis in Scholis) posita sunt infra duodecim Meditationes accommodatae ad renouationem Spiritus & votorum. Prima est pag. 634. de observatione Regularum in genere. Denique sunt tredecim aliae Meditationes pro eadem re à pag. 683. Adhuc aliquot pagina 812.

Prima, De Renouatione Amoris erga animam.

Primum Punctum. Considera Animae tuae excellentiam, tum naturalem qua res omnes sublunares superat, tum supernaturalem intrinsecam, quam habet ex gratia iustificante, ex virtutibus, donis Spiritus S. & auxilijs diuinae gratiae supernaturalibus ad eius bonum & ornatum ob Christi merita à Deo dari solitis, tum extrinsecam, scilicet ob finem propter quem creata & redempta est, nimirum Deum ipsum & eius visionem beatificam, tum ob media praestantissima ad consequendum hunc finem; videlicet Sacramenta, eorumque usum, & honorum operum frequentationem, & exempla Christi & Sanctorum: & tot extrinseca

auxilia & bona quae Catholici in Ecclesia, & peculiari modo Religiosi in Religione percipiunt, eaque copiosa, & facile, & summo cum animae bono, modò nobis ipsis non delinunt. Quae omnia cum in animae beneficium ob Christi sanguinem pro ea effusum à Diuina Maiestate concessa sint & concedantur, accendere ingenti amore animae tuae, quam Deus tanti fecit, & facit, ut ei tot concesserit, & concedere non cesset media, pro eius bono.

Secundum Punctum. Considera, An & quomodo amorem praeterito tempore erga animam tuam habueris & factis ostenderit, quod agnosces (ut vili propter maiorem confusio-nem & tui emendationem exemplo vtriusque, fideratis illis Christi verbis: *Nonne anima plus est quam esca?* Matth. 6. Si enim maiorem amoris affectum factis ostendisti erga escas (cas praefertim, quae tuo palato magis ardebant) quam erga animam tuam, verè fuit tibi praecedenti semestri vel anno minus quam esca. Quatuor autem potissimum inquire hac in parte. *Primo.* An cum eo animo te contuleris ad eas occupationes, quibus anima per meritum cumulos apud Deum impingatur, cum quo te ad lapidarum escarum usum conferebas? *Secundo.* An ita sine taedio in saturanda anima bonis operibus ac meritis versabaris, sicut in saturando corpore in prandio longiore escis? *Tertio.* An ita cum horrore, nauis & quadam iracundia reieciabas peccata animae noxia, sicut reiecere solebas escas palato tuo non ardentibus? *Quarto.* An inter bona opera & merita ita deligebas pro tuo spirituali vsu quae cernebas esse meliora & perfectiora, sicut solebas meliores escas optare, & offerente se occasione deligere? Et, si ita ut par est ijs in rebus rege-sisti, Deo gratias age, perge feliciter, sin minus, confundere, magis quam Esau, qui pro vil pulmento primogenituram perdidit, quae tamen non fuit tantum bonum, vii est anima tua, cuius amori escarum vilissimarum amorem praetulisti.

Tertium Punctum. Considera Dei amorem erga tuam animam admirabilem, in his praefertim rebus declaratum. *Primo.* Quod te, & animam tuam ad eundem finem creauit, cuius finis possessione ipse Deus beatus est, scilicet claram diuinitatis in aeternitate intuitionem. *Secundo.* Quod propter varia animae tuae mala auertenda, & bona conferenda, Deus ipse animam suam posuerit, morte atrocissima à corpore innocentissimo auulsam. *Tertio.* Quod pro solatio animae tuae & utilitate, cibam diuinitatis & humanitatis admirabilem, & tam obtentu facilem in Ecclesia praeparauerit. *Quarto.* Quod toties ab anima tua lesus, grauius quam soleant homines ab hominibus, te non abiecerit, sed potius nouis & maioribus beneficijs indies afficiat. Ideò accendere erga Deum magnam

magnâ dilectione, gratias ei age feruentissimas & exclama cum David : *Domine quid est homo quod memor es eius.* & cum S. Iob c. 14. *Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos :* eundemque roga, vt tibi infundat tantum tuæ animæ amorem, quanto eam ipse profequitur, cum sit æquius, vt eam ipse magis ames, quàm ament alij.

Quartum Punctum. Considera modos quibus deinceps ostendere factis debeas amorem erga animam tuam aded præstantem, aded à te præterito tempore neglectam, aded à Deo & Christo amatam.

Modi autem saltem similes esse poterunt, iis, quibus ostendis amorem erga corpus tuum, erga vestes tuas, erga cibos tuos, & erga res alias viliores tuas, circa quæ, & fugis sine magnis præmeditationibus ea omnia, quæ primo intuitu agnoscis esse noxia, & quæris ea, quæ prodesse possunt : quibus ponderatis dic cum S. David : *Nonne Deo subiecta erit anima mearab ipso enim salutare meum.* Et statue aliqua deinceps partim cauere mala, partim quærere & retinere bona, idque in particulari, non in genere.

Secunda. De Renouatione amoris erga inimicos, vel potius eos amicos qui tibi præbuerunt vel præbent causas afflictionum, vti sunt, qui nostros defectus superioribus deserunt, & qui eos puniunt, & alij.

Primum Punctum. Considera te vt pote Religiosum, ad maioris perfectionis studium obligatum, quàm sint obligati sæculares, debere magis & perfectius eos qui tuarum molestiarum sunt causa diligere. Cum ergo Christus à sæcularibus quoque exigat, vt diligant inimicos suos & benefactiis his, qui oderunt ipsos, orent pro persecutoribus & calumniatoribus suis, multò magis & perfectiori modo id exequi debes. Quod an & quomodo facias, confideta, & deploratis lapsibus circa hoc tuis, te serriò emenda.

Secundum Punctum. Considera, Bona quæ tibi offeruntur ex amore eorum qui te affligunt, & ex molestiis ac persecutionibus aliorum, hæc sunt merita & dona gratiæ & gloriæ omnibus mundi thesauris, honoribus delictisque maiora & meliora. Sicut ergo mundani v. g. auari, si scirent ob amorem inimicorum, & ob persecutiones & iniurias breui aliquo tempore toleratas, certò se consecuturos ingentes diuitiarum thesauros, libentissimè amarent inimicos, iisque benefacerent & tolerarēt molestias tuas maiores; Sic tu fer æquo animo omnia ob spem honorum æternorum, quæ non sunt alia, quàm Deus ipse, Dei que per eius visionem, amorem & fruitionem æterna pos-

sessio malo omni carens, bonis omnibus plena. Agnosce ergo & emenda cæcitatē tuam, qui cum Deum notis, eiusque honorum tibi præparatorum præstantiam, minoris tamen ea facis, quàm inania illa bona quibus te priuari putas, per Aduersarios tuos authorē sive molestiarum tuarum.

Tertium Punctum. Considera gratia mala Purgatorij pœnarum, quæ vel prorsus euadere, vel magnâ ex parte minuire potes, dilectione eorum, qui te molestant vel lædunt, & earum quas afferunt molestiarum, sunt enim mala illa omnibus mudi calamitatibus grauiora. Sicut ergo amares inimicos tuos etiâ grauissimos, & omnes illorum molestias tolerares libenter, quæ te nunc conturbant, si certò crederes te posse aut crurisragium aut colicos, calculique cruciatus longissimos, & lentæ, sed acerbæ adustionis dolores, aliæue mala vitæ præsentis euadere, ita nunc omnes molestias & earum authores debes diligere, vt hoc remedio multò grauiora vitæ futuræ supplicia subterfugas.

Quartum Punctum. Considera te esse Dei æterni adoptiuum filium, idque non temerè ad hanc dignitatem diuinitus electum, sed vt in te quemadmodum ait S. Leo *quasi in quodam speculo Diuine Benignitatis forma respicenda.* Cum ergo hæc sit vera filiorum Dei nota. Christo teste, qui amorem inimicorum commendans, causam subdit : *Vt siu filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Accende ergo ad heroicam illorum dilectionem, qui falso mundi iudicio, videntur tibi inimici, cum sint maiores amici quam ij qui suis laudibus viam tibi ad offensam Dei sternunt, & tibi de cælo illud monitum demitti puta, quo excitabat P. Ignatius Azebedius suos Fratres dum traherentur ad Martyrium : Et P. Balthazar Aluarez ad feruorem operum heroicorum in suis excitandum vtebatur : *Nemo degeneret à præcellis cogitationibus filiorum Dei.*

Tertia. De renouatione amoris erga Domesticos & æquales tuos.

Primum Punctum. Considera. Quanto in pretio sint apud Deum omnes domestici tui, sunt enim redempti Dei Sanguine, cibantur Dei corpore, & Sanguine reficiuntur, sunt domestici & serui honorarij Dei, amici eius & sponsæ eius : quibus ponderatis, magnam omnino de omnibus concipies opinionem & sinceram dilectionem in te excitabis.

Secundum Punctum. Considera primum effectum amoris erga alios esse, ne illos vnquam vllâ te culpabili contristes, quod quàm sit fugiendum diligenter agnosces ex præcepto diuino olim Iudæis dato : *Seruum Domini tui cum*

ad

ad se confugerit non contristes. Deut. 23. Si ergo Iudæorum Dei rebellium tantam Deus ipse rationem habere voluit, quantum magis habet fratrum tuorum, seruatorumque suorum sibi charissimorum. Examina ergo defectus hac in re tuos, & placam quam primum contristatos, & propone emendationem.

Tertium Punctum. Considera secundum effectum amoris erga proximos tuos, ne illis vllā re noceas, siue id sit exemplo siue consilio malo, siue laudando mala, siue improbando eorum bona, siue absentibus detrahendo, siue presentibus contumeliā vel ignominiam afficiendo. Quod quā sit tibi fugiendum, agnosces si ponderaueris illa verba Dei: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* Zach. 2. ver. 8. Quod multo magis conuenit Religiosis, vt pote Deo charioribus, quā olim Iudæis à Deo tandem derelictis. Item, si perpenderit illud Christi: *Quod vni de fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Quod quomodo obserues, vide, defectus detestare, & te in posterum emenda.

Quartum Punctum. Considera effectum amoris erga aequales tuos domesticos, vt eos inuies in necessitatibus & vtilitatibus eorum tum Spiritualibus, tum aliis, siue id à te petant siue non. Cuius rei necessitatem perspicies, si discusseris tenero cordis affectu illud Dei monitum in gratiam Iudæorum non ita sibi charorum: *Si videris asinum aut bouem fratris tui cecidisse in viā, non despicies, sed subleuabis eum, &c.* Si igitur alienorum bouem & afinorum tantam curam commendat Deus, quanto opere vult haberi à nobis ex purā charitate curam domesticorum suorum, tot modis vt in Primo Puncto ponderatum est, sibi adstrictorum. Vide ergo quomodo subuenire debeas necessitatibus & commodis fratrum tuorum licitis, saltem ijs modis, quibus subuenis ijs, quos præ cæteris magis diligis.

Quarta. De Renouatione Amoris erga Superiores.

Primum Punctum. Considera Gradum dignitatis in quo sunt positi à Deo Superiores tui; sunt enim Dei & Christi loco, vices eius obeuntes, adeo vt Christus palam de iis dixerit: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 16. Inquire ergo an tua de Superioribus iudicia, verba, honor quem eis exhibes, obedientia quam præstas, amor quem erga illos geris, sint talia qualia esse deberent erga Christum; & desertes (si qui erunt) tuis hac in re defectibus seriam propone emendationem.

Secundum Punctum. Considera Primum, Effectum amoris erga Superiores debere esse, ne illos tuis procedendi modis contristes, ponderando iuxta secundum orandi modum A-

postoli verba Hebr. 13. v. 17. *Obedite Prepositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim perugilant quasi rationem reddituri, pro animabus vestris, vt cum gaudio id faciant & non gementes.* Quod quomodo hæcenus obseruaueris, vide, & si quid sit deplorandum & corrigendū, deplora & corrige.

Tertium Punctum. Considera secundum effectum amoris erga Superiores esse debere, tantumquam erga medicos tuarum infirmitatum, quibus ob acerbiorē curationem & amara pharmaca non debes (vti solent similes ob causas medicis corporum infirmi) offendi. Quod aduerter necessarium esse, spectatis maioribus malis & periculis spiritualium morborum tuorum, quā sunt in morbis corporum, & maiore bono sanitatis animæ, quā sit sanitas membrorum: Detestare ergo lapsus hac in parte tuos, & caue deinceps.

Quartum Punctum. Considera tertium effectum amoris erga Superiores esse debere, tantumquam erga Parentes tuos, quite Deo Spiritualliter gignūt, qui amor in obedientia iudicii, voluntatis, & executionis emicare debet, in honore externo, & in filiali erga eos interno affectu. Quæ tria quomodo in te locum habeant, inquire, quā cordi esse debeant, agnosce, si non tantum Deo, sed etiam hominibus charus esse volueris, & securus à maiorum malorum periculis, & pace internā & externā frui, quā duræ erga Superiores cernitis subditi, gaudere non solent, & tandem pereunt.

Quinta. De Renouatione Amoris erga Deum.

Primum Punctum. Considera causas amandi Deum quā maximè, maximas. *Primo,* ipsius excellentiam & bonitatem infinitam. *Secundò,* Beneficia eius erga te tam magna & tam multa, communia & propria, naturalia & supernaturalia, præterita & futura, in quibus omnibus, vti etiam in ipsis malis pœnæ temporalis, purissima eius erga te charitas elucet; quæ bona cum in Deo & secundum se & respectu tui considerata sint multò maiora quā in vllā purā creaturā, ideò eum non tantum appreciativè (loquuntur Theologi) sed etiam intensivè amare magis debes, quā vllam creaturam, quod an facias vide, & si non fecisti hæcenus, confundere & te emenda.

Secundum Punctum. Considera primum Amoris erga Deum signum seu effectum esse debere, ne illum vnquam contristes. Peccata sola sunt deliberatè commissa, quæ humano more loquendo, & iuxta phrasim Apostoli Ephes. 4. 30, *Spiritum Sanctum contristant;* nec tantum grauiora, sed etiam leuia: siquidem vt ait S. Basilus: *Licet verbum ipsum quod dicitur, generè ipso de numero sit bonorum, tamen nisi ad adificationem ipsius fidei dirigatur, nequaquam propter id, quod bonum*

num sit, liber sit à periculo qui illud locutus sit, quippe qui ex eo quod ad adificationem illud non accomodauerit, contristare noscitur Spiritus S. Dei: Si ergo talia contristant certò quodam modo Deum, quantò magis his grauiora, quibus es obnoxius: ideo deinde tam multos lapsus tuos, veniam pete, & in posterum caue, & vel vnum saltem è præcipuis annotato à quo ad sequentem renouationem votorum, prorsus sis liber, vt ne semel quidem Deum eo contristes.

Tertium Punctum. Considera secundum signum & effectum tui erga Deum amoris esse debere, vt eum, eiusque gratiam, ac benevolentiam pluris facias quam homines, præsertim confidentes tuos, eorumque gratiam & benevolentiam, quod esse necessarium certò credere, quibus pius & fidelis debet. Hinc autem omnino sequitur, debere te omnes humanos respectus calcare, tunc dum vel exemplis vel dictis sociorum induceris ad faciendum vel omittendum ea, per quæ Deus offenditur, gratiæque eius augendæ occasio perditur. Examina ergo te, quorum magis benevolentiam confectis: Dei ne an sociorum. Et si quid vitiosum sit, serio & citò resecta: Consideratis accuratè illis Christi verbis: *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, aut filium aut filiam super me: non est me dignus.* Matt. 10. 37.

Quartum Punctum. Considera tertium effectum amoris erga Deum esse debere, vt quem admodum inter amicos vsu venit, vt omnia tua sint cum illo communia, quòd tunc fiet, quando omnia & singula opera tua deliberatè facta erunt bonæque est, bono fine & modo facta: ita vt possis illa Christi Domini & Capitis tui verba verè vsurpare: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Qualia ergo sint tua opera, saltem ea quæ ad Deum spectant, inquire; & vide, an sint Deo digna, & in hoc potissimum tui renouationem sitam esse puta, vt ita deinceps ordinaria opera tua renoues, ne & sine prauo vel otioso, vel deliberati peccati labe maculentur, & in nouitate spiritus fiant omnia: quòd à Diuino Spiritu per Christum & Sanctorum merita ardèret & assiduè pete, & ex parte tua procura.

Sexta. De Renouatione amoris erga Religionem tuam.

Primum Punctum. Considera tenerum illum affectum, quo in Religionem admitti in seculo petieras, eam & omnes res eius prosequarbaris, & vide, an in te nunc creuerit, vel defecerit iste affectus; si defecit, time tanquam in initium ruinæ tuæ, quia iam incipis retrò respicere, & te disponis ad illam Christi maledictionem: *Nemo respiciens retrò apertus est Regno Dei.* Quod si Dei beneficio cum ætate creuit in te erga statum tuum affectus, Deo gratias age, & pete, vt eum semper magis augeat, tanquam magnum calcas ad

magnum in vita Spirituali profectum.

Secundum Punctum. Considera primam radicem diminuti affectus, diminutam in Religionem viuendi probitatem, quæ dum in flore erat, affectus quoque non mediocris erga vocationem Religiosam vigeat, crescitque in quantum ipsa vitæ perfectio crescit, vt certa & quotidiana experientia demonstrat. Ideò excute torporem tuum, & considera quàm multis peccatis & in sæculo; & alibi offendatur Dominus tuus, qui te tot beneficiis suis obligatum habet, & ardentè exoptat, & procura compensare quodammodo omnia hominum peccata, vitæ sanctimoniam, & operum tuorum accuratè perfectione. Quod an, & quomodo facias, cogita, & talis esse stude.

Tertium Punctum. Considera secundam radicem, ex qua oritur diminutio erga Societatem, prioris boni affectus, esse cordis dissipationem ad res & occupationes non spirituales; quæ dum sapiunt, res Diuinæ intra quas est ipsa Religiosa vocatio, & status, non sapit. Nec enim cor humanum res tam contrarias fouere potest, sicut ergo hortum tuum (ait S. Basilii) nolles repletum vitiis; herbisque inutilibus bonos flores suffocantibus; ita æquum est, à corde arceri illas omnes res, circa quas dissipatum, & aridum velatur. Introspecte ergo, quæ sint res istæ, siue ea sint vana obloquia, siue otium, siue familiaritates, siue alia, & sicut te Deo deuouisti, ita totus Deo plenus eiusque rerum gustu esse stude.

Quartum Punctum. Considera tertiam radicem quæ reddit insipidam Religiosam vocationem esse præcticam obliuionem tuæ Religiosæ obligationis seu officij tui, quæ in eo sita est, vt saltè ea quæ sunt tui Ordinis essentialia, & ames, & illibata conserues, nihilque iis contrarium admittas. Inter essentialia autem Societatis sunt duo potissimum. **Primum.** Obedientia voluntatis & iudicij, & executionis perfectissima, non tantum imperio, sed minimo Superioris nutui & signo sese conformans exactissimè. Quæ etiam te tanquam formam essentiali nos voluit esse ab aliis Ordinibus distinctos S. P. N. Ignatius. **Secundum.** Contemptus omnium rerum quæ mundus amat & amplectitur, cum amore rerum contrariarum coniunctus, quem Regula Sum. 9. præscribit. Vide ergo quomodo hæc duo in te vigent; non vigere autem agnosces, si ægrè fers, dum ea, quæ expetis, negantur, si defæsti, puniri uide defectus tuos non finis; si commodius viuere desideras, quàm vixerit Dominus tuus cum Apostolis suis, Sanctisque tui Ordinis. Examina ergo te, desse defectus tuos, & seriam emendationem Domino tuo promitte, quæ non erit difficilis, si cognoueris te ad eam quædam necessitate gratitudinis, & utilitatis tuæ obligari, tot Dei beneficiis, tot Christi calamitatibus tui causam toleratis; tot pœnarum supplicij;

quæ quotidie pro alterâ vitâ promeretur, tot præmiis in cælo paratis.

*Septima. De Renouatione amoris
erga Paupertatem.*

Primum Punctum. Considera Paupertatem essentialiter in eo sitam esse, ne quicquam contra voluntatem Superioris pro te accipias, vel dones alteri, vel commutes, vel facias rem pretio æstimabilem, aut ea vtaris: & ne rem vllam contra voluntatem Superioris acquiratam retineas, eaque vtaris. Tu examina te quomodo hac in parte te gesseris, & tuæ conscientia consulte, ijs modis, quibus consuli potest, ne tanquam proprietarius habeat in iudicio Dei.

Secundum Punctum. Considera: lædi paupertatem etiam iis rebus, quas putas te cum licentiâ Superiorum habere, si ea sint superflua, quia Superiores non possunt dare licentiam pro rebus superfluis, & si ea dent, nil valet in iudicio Dei, vti est declaratum à Concilio Tridentino & eius Interpretibus Cardinalibus. Ided examina te. *Primo*, an habeas duplicia in rebus vsui tuo destinatis à te. *Secundo*, An habeas superflua, & refeca si quæ sunt talia.

Tertium Punctum. Considera Paupertatis perfectionem exigere, vt res necessariae omnino pro tuis vltibus, sint pauca & viles, & non pretiosa. Quomodo autem te hac in re geras considera, & pauper esse ad Christi imitationem & exemplum stude, tum non ægrè ferendo incommoda cubiculi, vestium, ciborum, aliorum vsensilium, siquidem non habebis vnquam vile & sordidum cubiculum, vti fuit Christi, in quo natus est, stabulum.

Quartum Punctum. Considera Perfectionem Paupertatis in Societate exigere praxim Regulæ 25. Sum. in qua dicitur, *victum, vestitum, & lecti rationem fore, vt pauperibus accommodatam, & vnumquemque sibi persuadere debere, quod qua vilissima erunt ex ijs, quæ domi sunt, ei attribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem & spirituales profectum.* Tu examina te circa duo. *Primo* Quomodo te gesseris in praxi huius Regulæ. *Secundo*, Quomodo te debeas imposterum gerere, & non ægrè ferre, nec conqueri, si eo modo à Superioribus tracteris, nec dicere, dum tibi tribuuntur vilia, quod te Superior velit mortificare.

*Octaua. De Renouatione amoris erga
Obedientiam.*

Primum Punctum. Considera Obedientiam tuam debere esse perfectiorem Obedientiâ famulorum sæcularium fideliter Dominis suis seruientium. & causas huius rei inquire. Si ergo famuli sæculares, ij præsertim, qui ser-

uiunt eo fine, vt dicescant, & ad honorifica officia promoucantur, exactissimè exequuntur mandata suorum Dominorum, nec discutunt ea, sed promptè, & cæcè exequuntur, multo perfectius debes exequi iussa tuorum Superiorum.

Secundum Punctum. Considera. Æquum esse immò necessarium, vt in obediendo Christum Dominum ac Deum tuum imiteris, si ergo ille, tui causâ factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, agnosce te eò vltique debere pertingere obediendo. Examina tunc omnia difficillima, ob quæ tibi antea imposta conturbabaris, murmurabas, fortè & de defendo Christi obsequio cogitabas, & videbis quàm potest distet à morte crucis, & te resoluere ad faciendâ & tolerandâ omnia, quæ tibi iniungentur, & quæ tibi non concedentur.

Tertium Punctum. Considera Personas quibus Christus obediuit tui causâ, tum sibi ad dictas, vti erat Beatissima Virgo & Ioseph; tum sibi offensas, vti erant Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus, nil aliud quàm sui perniciem querentes, & confer has Personas cum Superioribus tuis, & vide quàm iniquum & impium sit, eas malè tractare, eis non obedire, de eis conqueri, cum non sint erga te tam maligni, vti illi quibus obediuit Christus, Detiam mortis suscipiendo sententiam, & tot alia mala pœnaliter tolerando.

Quartum Punctum. Considera voluntatem S.P. Ignacij, volentis per solam obedientiam nos dignosci ab aliis Ordinibus. Hinc discere præcipuum tuum studium esse debere, vt in obediendo excellas, conformando te, & tua, voluntati & iudicio, & imperio manifestos, immo & nutui ac inclinationi tuorum Superiorum. Deste ergo contrarios defectus, & vitam in melius muta deinceps.

*Nona. De Renouatione amoris erga
castitatem.*

Primum Punctum. Considera Ideam Castitatis nobis in Regulâ præscriptam, à quâ iubemur niti ad imitandam Angelicam puritatem corporis & menti nostra munditiâ. Quæ in re duo pondera. *Primo*, Verba B. Patris hac de re, quæ non carent mystero. *Quæ*, inquit, *ad votum Castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constat, quam sit perfectè obseruanda.* *Secundo*, Quarta sit nostra felicitas, qui ope Dei possumus contèdere ad imitationem Angelicæ puritatis.

Secundum Punctum. Considera primam conditionem Angelicæ puritatis in eo sitam, quod nunquam admiserint vllum vel minimum defectum contrarium Castitati, immò nec potuerunt hac in re peccare. Tu igitur da operam, vt nunquam hac in re Deum offendas, & ad eò fortis sis, & in bono firmatus, ne loquendo

do moraliter, etiam hac in te possis peccare, eo saltem sensu, quo castissimus Ioseph ab impura scemina sollicitatus, respondit. *Non possum hoc malum facere & peccare in Deum meum.* Hæc verba pondera, & cum habeas maiora auxilia ad talem fortitudinem quam habuerit Ioseph, saltem exempla Sanctorum, Erubescere si tantum non potes præstare in expellendis internis & externis illecebris.

Tertium Punctum. Considera Angelos non tantum à peccatis contrarijs Castitati, sed etiam ab inordinatis motibus esse liberos. Hac in re imitari possumus Angelos, si ex parte nostrâ conemur, ne demus occasionem & materiam inordinatis motibus & tentationibus contrarijs Castitati, quod fit dum oculos finimus vagari liberè; dum legimus res curiosas & non mundas; dum nimio potu, somno, cibo distinemur, & his similibus. Quâ in te quomodo te geras vide, & defectus tuos desce, & aliquos annota ut caueas.

Quartum Punctum. Considera, Motiua ad quærendam Angelicam puritatem, quæ possunt esse, exempla in veteri lege Sancti Ioseph, Susannæ; in nouâ Christi & aliorum Sanctorum præsertim nostræ Societatis. Item tot auxilia Regularum, & alia, quibus ponderatis, agnosce quam faciliè possis esse hac in parte perfectus, & quam dignus sis magnâ reprehensione Diuinâ, ob defectus tuos.

Decima. De Penitentiarum studio renouando.

Primum Punctum. Considera causas seu motiua quæ te excitare possint ad vsum penitentiarum exteriorum, motiua autem sunt, satisfactio pro peccatis præteritis. Facilius apud Deum peccatorum eorum quæ petis: Maius meritum gratiæ, maius præmium paratum & alia, quibus singulis ponderatis, accendere magno desiderio tuam carnem affligendi.

Secundum Punctum. Considera Exempla Sanctorum omnium, præsertim Societatis, qui fuerunt inimici Carnis suæ, eamque variis modis afflixerunt, & quia vocatus es ad Societatem, ut in ea Sanctitatem acquiras, quam sine imitatione Sanctorum non assequeris, eos quoque in penitentiarum exteriorum studio, & vsum imitare.

Tertium Punctum. Considera quibus penitentius veteris, si certo ceteros te ob aliquod factum capitali supplicio esse affligendum in conspectu numerosissimæ Ciuitatis, refertæ Principibus Viris ad hoc spectaculum aduocatis, procul dubio eas omnes quas refugis, quas Viri Sancti habuerunt in vsum, libenter amplectereris. Cur ergo id non facis spectante

Lancicij Opus. Tom. 2.

te Deo, & Sanctis eius, cum grauiotes multo pœnas, & in hac vitâ & in alterâ merearis, ob tua saltem venialia peccata.

Quartum Punctum. Considera. Modos quibus potes ob bonum tuum & Dei gustum tuam carnem in eius membris, & sensibus affligere, potissimum gustum, aspectum, tactum; & glorioso studio accendere ad hanc mortificationem frequentandam.

Vndecima. De Renouatione amoris erga quatuor vota, ipso die Renouationis votorum.

Primum Punctum. Considera. Paupertatem à S. P. N. Ignatio appellari in Constitutionibus *matrem & murum Religionis*, vnde sequitur, te eam debere diligere tenero animi affectu, uti solent boni filij bonas matres, & ita debere eius integritatem tibi esse cordi, uti solet esse cordi murorum integritas iis intra illos à ferocissimis & potentissimis hostibus obsidentur. Examina ergo an in te sit iste erga Paupertatem affectus, & dum occasiones paupertatis non quæsitæ se tibi offerunt, & in experimentis eius vltro à te quæsitæ, & si quid renouandum inuenieris, renoua deinceps, & opem pro hac re à Christo tui causâ facto pauperrimo, pete.

Secundum Punctum. Considera Castitatem tuam talem esse debere, quæ merito vocari possit, phrasi S. P. Ignatij, *Puritas Angelica in perfectâ corporis & animi mundicie sita*, quæ quam sit per se excellens quam digna amore tenerimo in cogitationibus, verbis, factis, omissionibus rerum variarum pondera.

Tertium Punctum. Considera obedientiæ excellentiam, quæ ut Sanctus Pater ex Sancto Gregorio ait: *Omnes virtutes inserit, insertasq; custodit*, quos effectus quomodo pariat & quantopere sit ob eos amore digna pondera, & quomodo in ea te exerceas, inquire; & si quid emendandum sit emenda. Quod ut efficaciter præstes, inuoca feruenter Dominum tuum: qui tui causâ factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Quartum Punctum. Considera quarti voti, quo te obstrinxisti Domino tuo necessitatem ad vitam quietè traducendam, vtilitatem quoque ad magnos quos affert cumulos meritorum, dum Dei causâ, per indifferentiam perfectam, ut iumentum te Deo exhibes, nullum certum locum seu statum in eius aulâ eligendo, sed eum volendo amplecti, quem Superiores præscripserint, etiam si sit infimus, talentisque tuis, & meritis inferior & minor, Quod quam sit gratum Sacrificium Deo & plenum odore suauitatis, si proficiscatur ex animo propriæ exultationis, famæ, & honoris contemptore

D d d

&

& amatore nouissimi loci in domo Dei, perpende, & offer te plenè Deo, petasq; affectuosissimè ab eo, qui cum in firmà Dei esse, exinanivit semetipsum, tui causà & se Barrabbæ nefario latroni postponi voluit, vt semper sis & habearis abiectus in domo Dei propter amorem Dei & Redemptoris tui.

Prima. De obseruatione Regularum in genere.

Post Orationem preparatoriam, & Prælia solita.

Primum Punctum. Considera te debere Regulas omnes seruare. *Primò.* Quia propter hoc ingressus & Religionem hanc, quæ sine obseruantia Regularum tanquam neruis eam sustentibus, consistere non potest. *Secundò.* Quia in ipso ingressu ad Religionem & sepè postea & Superioribus & Deo promisisti te velle eas obseruare. Sicut ergo ephæbus Regis vel intimus cubicularius ambiens gratiam Regis, ad amissim seruat omnia mandata & monita Regis sibi data, & valdè tristatur, si Rege conscio, aliquid omitat, ita multò magis tu debes esse sollicitus de obseruantia Regularum tuarum. Sunt enim partim mandata Regis caelorum (quoad vota) partim monita, quoad alia. Vide ergo quantopere tristari debeas, dum aliquid votum vel Regulam transgrederis, etiamsi nullus mortalium id sciat: & quantopere conari debeas, vt omnes Regulas serues, conferens præmia quæ Deus & in hac vitâ statim, & in altera vitâ, suo tempore, confert seruis suis pro Regularum obseruantia, infinites maiora ijs bonis & remunerationibus, quæ non semper dantur famulis fidelibus & diligentibus Regum.

Secundum Punctum. Considera difficultates & incommoda, & aduersitates quas experiuntur & patiuntur famuli Regum etiam in ipso Palatio Regio manentes, tot defectus in cibo & potu, tot inuidias & æmulationes, tot irrisiones & opprobria, tot detractiones & infamias, tot molestias & labores in assistendo Regi, in seruiendo illi tota die, vt vix habeant commodum tempus & sufficiens pro comedendo & dormiendo. Horum exemplo agnosce felicitatem tuam, qui in Religione minora incommoda pateris quàm Regum famuli, & maiore libertate fruere, vt possis tuis personalibus occupationibus attendere. Quocirca tantò magis Deo seruis in obseruatione Regularum præsertim earum, quæ præscribunt modum quo nos gerere debemus, in actionibus ad immediatum Dei cultum spectantibus, vti sunt, Missa, Horæ Canonicae, Meditationes, Examina, Quomodo autem te gesseris hæcenus in his examina te, & corrigenda corripere.

Tertium Punctum. Considera magni faciendæ esse nostras Regulas, quia sicut aliorum Ordinû Regulæ sunt profectæ ex inspiratione Spiritus S. (vt Christus D. reuelauit S. Brigittæ 17. Reuel. c. 20.) ita & Societatis nostræ Institutio, quod in Regulis est expressum, fundatum est à S. P. N. Ignatio S. Spiritu inspirante, quemadmodum aliquot Romani Pontifices discretè asseruerunt. Immodò vt patet ex Historicis Societatis, à Deo ipso reuelatum nostro S. Fundatori. Quocirca si magnus esset Dei contemptus, si Monita aliqua immediate ab ipso Deo tibi præscripta non seruares, putans ea tibi esse à Deo tradita, multo magis violatio Regularum à te non fit, sine quodam Dei contemptu. Quia certius est, eas esse à Deo immediate traditas S. Fundatori, quàm certitudine tu non posses agnoscere, tibi aliqua immediate à Deo commendata esse, cum non haberes hæc de te testimonium Apostolicæ Sedis & aliud Diuinum quale habuit S. Brigitta de Regulis Religiosorum.

Quartum Punctum. Considera verba Christi Domini dicta B. Mariæ Magdalene de Pazaris, nostræ Societatis à pueritia vsque ad mortem Spirituali filia, cui inter viginti monita Christus Dominus dixit: *Assimilabis tuam Regulam & Constitutiones eius, simul cum votis quantum me assumas.* Pondera hoc accuratè, & vide quantopere etiam tibi esse debeat cordi exactissima Nostrarum Regularum obseruantia.

Secunda. De Renouatione amoris erga Regulas.

Primum Punctum. Considera Verba Secunda Regulæ Summarij, in qua dicitur finis esse noster, *Saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuinâ gratiâ vacare, & cum eadem impense in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* In quibus verbis percipere præstantiam huius finis, & ob eam præstantiam Nostræ Institutio, siquidem nullus alius fuit finis Christi Incarnationis, Vitæ, Passionis & Mortis, quàm vt his medijs nostram salutem & perfectionem procuraret. Idem & Apostolorum vitæ ac prædicationis finis fuit. Quocirca vt Christo Domino tuo correspondeas, excita in te amorem salutis & perfectionis tuæ & proximi.

Secundum Punctum. Considera quomodo hæcenus quæseris perfectionem tuam in Societate. Quod agnosces ex his. *Primò.* An quolibet anno sis factus perfectior, sicut factus fuisti doctior & prudentior & senior ætate. *Secundò.* An in te nunc sint, tam perfecti actus virtutum, simplicitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, mortificationis affectuum, sicut fuerunt tempore Nouitiatu. Et hinc deperce aliquam vtilitatem, præsertim vt deploras

tuum incuriam, in omni tua perfectionis cura, & te emendes.

Tertium Punctum. Considera. Quomodo haec tenus quaesiveris salutem & perfectionem domesticorum tuorum, quod hinc agnosces. **Primo.** An sentias in te desiderium ardens & frequens; & quasi dulciter inquietum, fratres tuos iuvandi in Spiritu & faciendi meliores. **Secundo.** An ex conversatione tua, ob tua bona exempla & consilia & colloquia, aliquis sit factus melior, vel certe minus malus. Et ex harum rerum consideratione, excita te ad emendandum ea, quae domesticis in te noerunt, & conare, vt eos imposterum adiuves in Spiritu.

Quartum Punctum. Considera. An & quomodo causa fueris, vt externi per te in salute & perfectione sua sint promoti, & vt supra, hinc aliquem spiritualem fructum decerpe.

Tertia. De Renovatione Amoris erga Regulas.

Primum Punctum. Considera debere te (si vis in Societate perseverare ad mortem) saltem illas Regulas servare, quae sunt substantialiales nostri Instituti, alioqui cur Societatem ingressus es, si non vis servare tales saltem Regulas. Hanc obligationem (etiam politice rem considerando) habes, siquidem & Civis mundani & Rustici in pagis, dum se Civitati & pagis incorporant, obligant se ad servandas leges & statuta illius Civitatis & pagi ad quem se transferunt, vt in eo perpetuo degant. Cum ergo aequius sit, vt Religiosus sit perfectior in suo statu, quam saecularis Civis & Rusticus in suo, debes solius rationis naturalis ductu (etiam si non essent vlla supernaturalia motiva, nec caelum, nec infernus) subdere te Regulis tui Ordinis, praesertim substantialibus: siquidem etiam Ethnici & Athei viventes in communitate, nil de praemio caelesti & inferno post mortem credentes, accommodant se, & subiiciunt se Statutis saecularis Civitatis & legibus omnibus receptis, ab incolis loci illius.

Secundum Punctum. Considera inter substantialia Instituti esse Regulam 9. Summ. Contentum esse debere vnumquemque, vt omnia quae in eo notata fuerint per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, manifestentur. Ita declaravit Congregatio Quinta Generalis Decr. 58. Perpende ergo singula huius Regulae, & agnosce quae sint illa quae possunt Superioribus dici de te, & noli reputare pro iniuria, si talia date dicantur Superioribus.

Tertium Punctum. Considera maiorem esse habendam rationem Dei quam Superiorum, tum quia Deus magis te potest punire si id merearis, tum quia etiam si te punire non possit, deberes magis curare bonam & malam opinionem de Te, vt sis in bona apud

eum & non in mala, sicut tibi volupe est, vt sis in bona & non in mala opinione apud Civiles, vel apud aequales, vel apud tuos discipulos, vel apud tuos subditos a quibus puniri non potes. Et hinc agnosce immerito te tritari, & conturbari, dum ea de te dicunt vera, quae Deus vidit & scit, verum esse a te dicta & facta vel omissa. Non est hic sermo de rebus tibi falso adscriptis (de quibus alias) sed de solis veris.

Quartum Punctum. Considera causas ob quas debes esse contentus, vt tecum iuxta hanc Regulam procedatur. Tum quia promissisti eam servare in prima probatione & postea, tum alias ob causas quas ipse per te Domino illustrante inuenies. Resolue ergo te ferid & heroice ad eam deinceps servandam, & desiste defectus praeteritos.

Quarta. De Renovatione amoris erga Regulas.

Primum Punctum. Considera etiam Regulam 10. Summ. ex Declaratione Congregationis Quintae Generalis esse vnam esse substantialibus quae praescribitur, vt omnes boni consulant. **Primo.** Ab aliis corrigi. **Secundo.** Ad aliorum correctionem iuvare & manifestare sese invicem cum debito amore. **Tertio.** Non expectando vt Superior interroget, sed eo etiam non interrogante, vt declaravit Congregatio Sexta Generalis. **Quarto.** Sed multo magis id faciendum, si a Superiore qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum aut interrogatum. Pondera singula & agnosce, ad quid tenearis ex vi huius Regulae.

Secundum Punctum. Considera magi tibi debere esse charam animam tuam, quam corpus, & morbos animi quam corporis. Quocirca si non fers aegre, dum te aliquis praemoneat, ne cibo venenato vescaris, vt viam praedominibus plenam declines; & dum te aliquis putat infirmum, si tuum Superiorem moneat, vt tuae sanitati consulat, quamvis infirmus non sis, multo minus debes aegre ferre, si quis iisdem modis tecum, & circa te procedat, circa tuos defectus qui sunt animae morbi.

Tertium Punctum. Considera, quomodo te haec tenus gessisti circa observationem huius Regulae & si bene te gessisti, age Deo gratias: sin secus, dole, & te resolue ad eam observandam exacte.

Quartum Punctum. Considera motiva quae tibi occurrunt ad servandam hanc Regulam, & in eius observatione exacte, deinceps te funde bene & firmiter.

*Quinta. De Renouatione Amoris
erga Regulas.*

Primum Punctum. Considera Regulam ita Summ. legendo eam ex libro, vel in memoriam renocando, nimirum hæc continentem. *Primo. Ut quis omnino & non ex parte abhorreat ab omnibus que mundus amat & amplectitur.* Considera autem præcipue duas illas dictiones: *omnino & non ex parte:* per quas nil videtur excipi. *Secunda. Ut admittamus & concupiscamus totis viribus quicquid Christus Dominus Nos fecerit amavit & amplexus est.*

Secundum Punctum. Considera motiua à S. P. N. Ignatio tradita, ad hanc Regulam obseruandam, & sunt hæc: *Primo. Observationem huius Regule esse magni faciendam, summi momenti esse ducendam in conspectu Creatoris ac Domini Nostri.* *Secundo. Magnopere iuuare ac conferre ad vitam Spirituales profectum obseruationem eius.* *Tertio. Exemplum secularium qui ea que mundi sunt, sequuntur diligunt & quarunt magnâ cum diligentia.* Ideo resolu te ad seruandam hanc Christi legem, saltem eo modo, quo mundani seruant magnâ cum diligentia leges mundi, Deo sæpe exolas, & illis perniciem æternam non raro adferentes.

Tertium Punctum. Considera. Quæ sint ea quæ mundi homines quærunt & amant, à S. P. N. Ignatio nominantur honores, fama, magni nominis existimatio in terra. Et vide an tu in Religione ad quam fugisti è mundano statu, volens modo contrario hominibus mundanis viuere, hæc quoque quæseris & amaueris. Et vide quomodo te debeas in posterum gerere.

Quartum Punctum. E contra ea quæ S. P. N. Ignatius vult nos exemplo Christi Domini contraria mundi moribus amare, quærere & ardentè exoptare, scilicet contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi ac existimari. An id hæcenus optaris & quæseris vide, & confundere volens te melius tractari, quam fuerit pro te tractatus Dominus & Creator tuus; & resolu te ad renunciandum his omnibus propter Christum quæ mundus amat, & te Christo assimilare in tolerantis patienter & libenter & ardentè rebus contrariis. Et hanc resolutionem nunquam violandam à te offer Deo.

*Prima. De obseruatione Regule octauæ
Summarij.*

*Ultima Regula octauæ pars est: Ut qui mundo ac proprio amori mortuus est,
Christo Domino nostro soli uiuat.*

Primum Punctum. Considera quid est mundo mori. Mortuus physicè mundo, non cogitat de rebus mundi, quæ sunt teste S. Ioanne

Apostolo: *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vite.* Tu an de illis cogites de liberatè, & an cogitationes tales contra tuam voluntatem te inuadentes ita repellas, vt dici possit te illas non esse passum, vide, & cur ex non debeas acceptare & fouere, considera, & vide quomodo te hæc in parte in posterum gerere debeas.

Secundum Punctum. Considera mundo mortuum physicè, non tantum non cogitare de rebus mundi supradictis, sed nec illas desiderare. Tu quomodo te in hac parte geras, diligenter perpende, & quæ sunt in emenda emenda.

Tertium Punctum. Considera mundo mortuum physicè, non ægrè ferre quicquid illi inferatur iniuriæ, siue negativæ, dum vel non promouetur ad speciosa, vel dum degradatur à speciosis occupationibus, vel amouetur à locis honorificis & occupationibus. Tu an sis mortuus mundo mortuus, examina te: circa hæc, & quid deinde tibi sit faciendum vel vitandum firmiter statue.

Quartum Punctum. Considera mundo mortuum physicè, si possit esse rationis compos, optaret quam citissime amoueri ab oculis hominum, & sub terrâ recondi, & non ægrè ferret, si terrâ obrueretur & conculeretur omnium pedibus; tu an sis mortuus mundo mortaliter, hinc agnosces, si tali modo proportionaliter te velis tractari in humilitationibus tuis. Et sic agnosces, an sis mundo mortaliter mortuus, & quantum distes à perfectione Evangelicâ & Religiosa, quæ suos vult esse mundo mortaliter mortuos. Ideo confundere, desiste tuas superbias, & te emenda.

*Secunda. Circa Regulam octauam Summarij.
Ut Christo Domino nostro soli uiuas.*

Primum Punctum. Considerate debere Christo viuere, tanquam Domino, quocirca ita te debes gerere in hac Curia vel Aula Christi, sicut se gerunt boni famuli in Curia & Aula Regum quibus seruiunt. Famuli autem Regum ita seruiunt. *Primo.* Nunquam de industria & datâ operâ quicquam dicunt, vel faciunt, vel omittunt, quod sciunt displicere Regibus, Dominis suis, & quod sciunt semper puniri ab illis vel tunc, dum tale aliquid committunt, vel postea. Et cum Christo nil displiceat nisi peccatum, & cum nil puniat in hac vel alterâ vitâ nisi peccatum, vide an quoad hoc te geras erga Christum Dominum tuum, vt boni serui se gerunt: & desiste desistenda, corrige corrigenda, & te emenda.

Secundum Punctum. Considera famulos Regum si contingat aliquid inaduertenter eum per ignorantiam vel obliuionem dicere, vel facere vel omittente, quod offendant Reges & Dominos suos, valdè ob id erubescere, & tri-

stari, & non audere comparere in conspectu Dominorum suorum. Tu examina te, an ob peccata tua ex subreptione & inadvertenter commissa ita erubescas & sensibilem ob ea tristitiam sentias. Hinc agnosces an sis bonus tanti Regis seruus, & quid te in posterum facere oporteat.

Tertium Punctum. Considera seruos Regum dū ante Reges suos & Dominos stāt, vel alibi existentes ab eis videntur, ab omni re & actione & gestu indecoro abstinēt, sed summā modestiā faciunt omnia. Tu verò cum Regē tuum suā immensitate ubique tibi intimē præsentem esse scias, & fide diuinā credas intima tua intuitiue aspicere, non sola exteriora, procedis ne cum Deo eo modo quo serui in oculis Dominorū: & si quid vitandum sit, deinceps vita.

Quartum Punctum. Considera seruos Regū pro magno beneficio & suā felicitate habere, si Reges eorum operā vrantur quā sapissimē, vel mittendo eos ad aliqua loca, vel ad personas, vel iniungendo illis aliqua conficienda vel domi vel foris, etiam difficili tempore, & non sine labore & molestiā: idq; habent pro magno signo amoris erga se Regum. Tu an hoc modo te geras, dum tibi Superiores sēpius quā alijs iniungunt aliqua laboriosa siue officia, siue opera, examina te, & an sit boni serui murmurare contra Superiores Christi Vicarios, dum tibi iniungunt sēpē quādam quæ nollis, vel frequentius quā alijs. Cōfundere ergo, & asfuesce nil vnquā detrectare nisi solum peccatū.

*Tertia. De octaua Regula.
Vt Christo D. soli vinas.*

Primum Punctum. Considera seruos Regum exactissimē, exequi mandata suorum Dominorum omnia ad amissim, ne minimā circumstantiā omittā, vel negligenter executioni mandatā. Tu an hoc modo exequaris mādata Dei, immediata & mediata quæ tibi & per se & Vicarios suos præscribit. Et desse desenda, emenda emendanda.

Secundum Punctum. Considera seruos Regū peculiari studio ea exequi, quæ ad ipsam Regiam Personam spectāt, vel illā vestiendo, vel exuendo, vel cibum eis potumue porrigendo, quā libenter, & sine tædio & tergiuersatione ac integrē talia præsent Regibus. Tu examina te, an simili modo peragas actiones ad Diuinum cultum immediatum spectantes, vti sunt Missæ Sacrificia, Horæ Canonica, Meditatio, & his similia. Et, si agnosces te à famulis Regū in hoc superari, erubescere, & propone seriam emendationem, & deprecare tuum Regem Christum vt condonet tibi hanc inurbanitatem in obsequiis ad eius personam colendam ab eo tibi præscriptis.

Tertium Punctum. Considera famulos Regū
Lancicij Opusc. Tom. 2.

Summæ felicitatis hoc ducere, si sēpē à Regibus aduocentur ad familiaria colloquia, & inuident alijs, si videant alios frequentius ad ea inuitari. Cum ergo scias certò, orationem esse colloquium cum Deo, & cum credas verum esse quòd Spiritus S. in Scriptura reliquit. *Delicias esse Dei, versari cum filijs hominum.* Cur non placet tibi frequens & longa Oratio & colloquium cum Deo? Cur magis placet longa recreatio & colloquium cum hominibus? Erubescere, & pete veniam à tuo Rege, quod pluri facias re ipsa conuersationem cum hominibus quā cum Deo Domino tuo.

Quartum Punctum. Considera quā amarum erit tibi in horā mortis, quando vel dæmon, vel conscientia tua obiciet tibi famulos Regum ob spem præmiorum temporalium cum hac vitā finem accepturorum, tam diligenter, & laboriosē, & sine tædio seruissē Regibus Dominis suis, te verò nec beneficiis maioribus quā soleant conferre Reges famulis suis, nec spe præmiorum æternorum motum esse ad æquē seruendum Regi Regum, & Domino dominantium. Ideò consule tempestiue animæ tuæ, ne in hora mortis tuæ confundatur, & formidet seuerum Dei iudicium statim post mortem subsecuturum.

*Quarta. De Regula octaua Summarij.
Quid sit mori amor proprio.*

Primum Punctum. Considera amorem proprium esse execrabile fundamentum omnium malorum, vt Deus Pater dixit S. Catharina Senensi c. 7. dial. *A quo abominabili & detestabili procedunt omnia mala, & qui totum orbem venenauit: vt idē dixit c. 17. dial. & qui est velut vna obscura nubes, qua priuat hominem lumine rationis continente in se lumen vere fidei dial. c. 51. & qui penitus animam exsiccat à quolibet vigore fructifero c. 92. dial. & qui Deum suū sagittis sagittat c. 116. dial.* Hæc ponderat, & agnosce quā sit vitandus amor iste proprius, immò extirpandus, adeò terribiliter à Deo Patre descriptus.

Secundum Punctum. Considera non esse impossibile huius amoris extirpationem. Siquidem de S. P. N. Ignatio & S. Rotæ Auditores & Cardinales Sacrorum Rituum in Relatione publicā impressā data Gregorio XV. Papæ & omnibus Cardinalibus in Consistorio tunc præsentibus, inter alia motiua pro Canonizando S. P. Nostro hoc adduxerunt pag. 16. *quod Charitatem in Deum adeò puram in suo corde aluerit, retinueritq; vt etiam sui ipsius amorem à se prorsus amandari. Et paulò ante dixerunt: quod à seipso amorem omnium rerum quæ Deus non sunt, prorsus abiecerit atque in eundem transfulerit Deum.* Quocirca ne tanti Patris sis degener filius, conare vt extirpes in te amorem proprium.

Tertium Punctum. Considera amoris proprii
Dddd 3 esse

effectum esse desiderium bonæ opinionis de bonis apud alios, scilicet de nostris natalibus & conditione in vita sæculari, de nostro ingenio, doctrinâ, prudentiâ, talentis pro docendo Scholas altiores, pro gubernatione, de virtute & similibus. Ex alterâ parte amor proprius nos impellit, ut nolimus esse in opinione malâ seu sinistra apud alios circa supra dicta. Examina ergo te, an amor proprius in te circa hæc vigeat, & perpende, quod hic effectus amoris proprii sit directè contrarius Virtuti Humilitatis, quæ facit contraria appetere. Et cum humilitas iudicio Christi Domini sit causa exaltationis in oculis Dei, *Qui se humiliat exaltabitur*: & cum sit fundamentum omnium virtutum moralium primum post virtutem fidei, vide quantopere sit necessaria extirpatio huius effectus, & affectus amoris proprii, si velis esse magnis virtutibus præditus.

Quartum Punctum. Considera alterum effectum amoris proprii esse, desiderium laudis, quæ solet proficisci ex bona opinione aliorum de nobis. An in te hic affectus vigeat, & si vigeat, agnosces te non esse mortuum amori proprio, nec velle te esse imitatore Christi, qui à Iudæis vituperabatur variis modis, tanquam vorax & potator vini, tanquam cum dæmoniis commercium habens, & eorum virtute dæmonia eiiciens, tanquam superbissimus, arrogans sibi Diuinitatem & æqualitatem cum Deo; tanquam seditiosus, & subuertens gentem Iudaicam, & his similia scripta in Euangelio. Quæ omnia Christus D. pro te patienter, sine indignatione mentis & oris tolerauit.

*Quinta. De Regula octaua Summarij,
Quid sit mori amori proprio.*

Primum Punctum. Considera tertium effectum amoris proprii, esse, desiderium bonæ famæ apud alios, quam parit laus aliorum, dum nos & nostra commendant & prædicant. An hic effectus amoris proprii in te sit, hinc agnosces, si tristaris, & multò magis si turbaris, dum publicè & notoriè coram aliis vituperatur tua persona, vel dicta & facta tua. Hunc effectum amoris proprii extirpare stude, partim si innocens es, solando te in innocentia tuâ, partim iudicio Dei de te & rebus tuis, pluri enim debes facere iudicium Dei de te quam hominum. Ideo procura bonis modis viuendo, habere bonam famam apud Deum & apud Sanctos in cælo, considerando causas cur magis curanda sit bona fama in cælo quam in terra.

Secundum Punctum. Considera quartum effectum amoris proprii esse desiderium gratiæ eorum hominum à quibus promoueri possis ad officiosa, honorifica & speciosa. Hic examina te, an huic vitio sis obnoxius. Et perpende Christi silentium in domo Pilati & Hero-

dis, coram quibus nihil dixit & fecit quod illi toti falsis criminationibus impetito ab omnibus Iudæis, posset gratiam Pilati & Herodis conciliare. Tu an ita te geras, inquit, & si quid vitandum sit, vita.

Tertium Punctum. Considera quintum effectum amoris proprii esse, desiderium promotionum ad gradus in Religione speciosos, ad occupationes & loca honorifica, & his similia. An hic affectus in te vigeat, examina te. Et cum mundum reliqueris, ut Christum possis meliùs imitari, pondera illa Christi Domini tui verba: *Regnum meum non est de hoc mundo, Et, Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput relinnet*, Matth. 8.20.

Quartum Punctum. Considera sextum effectum amoris proprii esse, desiderium ut honoremur ab aliis in congressibus publicis, in salutationibus in foro, ut est in Euangelio, & alijs in locis, & in primis accubitis, etiam in salutationibus Epistolarum, lo. um primum expectitis, & in catalogis nominum ad portam appensis. Hic affectus an in te vigeat, vide, & resolve te ad exsequendum illud Christi D. Noltri monitum: *Recumbe in nouissimo loco*. Ita enim in cælo meliores assequi poteris honores, hic illos vitando propter Deum.

De Renouatione amoris erga imitationem Christi.

Primum Punctum. Considera te esse Christi Capitis tui membrum, ut ait Apostolus Ephes. 5.30. *Membra sumus corporis eius, de carne, & de ossibus eius*. Hinc sequitur, debere mores tuos esse conformes capiti tuo Christo. Hoc bene pondera & penetra, ut tibi viuide & intimè persuadeas hanc veritatem, valde necessariam ad multas actiones heroicas in obsequio Dei, cum magno merito faciendas.

Secundum Punctum. Considera actiones tuas ut sint Christo tuo conformes, debere esse valde heroicas, tum ex parte subiecti, hoc est, ex parte tuâ, ut illas cum magnâ puritate & perfectione facias: hoc est, sine peccato, & cum magnâ diligentia & feruore sine ardore Spiritus. Deinde ex parte obiecti, id est rei quam facis vel pateris, ut non tantum actiones tuas occupes circa obiecta facilia, quæ accidunt ordinariè, sed magis circa obiecta valde difficilia & superbia, & amori proprio ac sensualitati tuæ valde molesta, ut sint proportionatae tuæ actiones actionibus Capitis tui Christi, qui etsi fuerit sine vitioso amore proprio, & nulli peccato obnoxius, tamen ex amore nostri, difficiliora egit & passus est quam villa pura creatura. Ideo si caput tuum talia fecit & passum est, idque non propter se, sed propter te, teneris eire conformare, immò plus facere & pati quam

quam caput tuum: quia & homines volunt capita sua commodius & delicatius tractari, & præferuari ab iniuriis æris aliisque, quàm alia membra non tam præstantia. Resolue te ergo ad imitationem Christi in his rebus.

Tertium Punctum. Considera extrinsecas causas, quibus Christus caput tuum, ex tui amore, & ad danda tibi exempla imitationis sui lato, & generoso animo sustinuit omnis generis iniurias, contumelia, calumnias, detractiones, infamias, contemptus, fallas accusationes, ludibria, sputa & his similia, mortem denique infamem & inexplicabilibus doloribus plenam. Ergo hinc sequitur, debere te similia pati pro capite tuo. Ergo resolue te generosè ut talia in modum plura & peiora patiaris: quia caput debet commodius conservari, quàm pes vel unguis, quem te esse reputa, respectu capitis tui, & respectu aliorum membrorum eius, te meliorum & digniorum.

Quartum Punctum. Considera internum statum Christi capitis tui: in quo voluntariè mansit, tum aliis modis, tum: quia ut ait Apostolus Hebr. 12. 2. *Sustinuit crucem confusionem contemptam.* Inter præcipuas enim mentales afflictiones Christi capitis tui fuit, magna confusio pudor & erubescencia quam de industria acciuit, imperio suo volens illam sentire, & eam veluti enecari, imperatam ex occasionibus sui accusationum, denudationem sui ad columnam, & in cruce & alias. Hinc resolue te ad quærendas datam operam tui confusiones primò secretas, in sinceris confessionibus faciendis, & in manifestatione omnium grauium peccatorum tuorum, dum Superioribus reddis rationem conscientiam etiam extra confessionem, deinde publicas, dum verè vel falsè accusaris, & infamaris, & publicè panitis, & dum publicè manifestando coram aliis veros, sed occultos defectus tuos cum Superiorum licentiâ, confusionem tui, ex amore capitis tui, tibi concilias.

Ut autem facilius ad has tui confusiones quærendas & acceptandas generosè, & cum effectu subsecuturo te resolvas, hæc motiua te ad hoc inducere possunt ponderanda in alia Meditatione.

1. Exemplum Christi: quia ut dicitur 1. Pet. 2. 21. *Christus passus est pro nobis; vobis relinquitur exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

2. Satisfactio pro peccatis tuis præteritis.

3. Magna merita quæ parit confusio magna generosè tolerata.

4. Ingentes coronæ in cælis ob id præparata.

5. Exempla Sanctorum qui hac in te excelsuerunt, & ob id variis Dei donis repleti sunt, ut Simonis Salo: S. Philippi Nerij: B. Consalui Sylueira nostri Martyris: P. Gasparis Berzæi, qui cum esset Rector Goanus, publicè ex Cathedra in Refectorio dixit peccata sua in lætu-

lo commissa: P. Aluarez Balthazaris qui in ratione conscientiam idem fecit, sine vllâ obligatione, iam Superior existens, ita ut Provincialis vel Visitator coram quo ita se manifestauit, fuerit ferè extasim passus, præ admiratione tantæ humilitatis: P. Realini, qui omnibus suis Rectoribus nouis dum venirent ad gubernandum Collegium Lupiense, solebat dicere peccata à se in seculo commissa, tum aliorum Dei seruorum qui per tales confusiones vltro bonis modis, non contra Regulam XI. Sum. procuratas, mira & valde rara Dei dona consecuti sunt.

6. Diligenter examinandæ sunt causæ ob quas refugimus confundi in confessione & in manifestatione nostræ conscientiam Superiori faciendæ. Eæ sunt tres. *Prima.* Metus ne deinceps non amemur à Superiore. *Secunda.* Metus ne non promoueamur ad officia speciosa, & ne non fidat nobis: ideoque non mittat nos ad certa loca, vel ne neget tales occupationes in quibus non possit nobis fidere. *Tertia.* Ne simus in mala opinione apud illos. Quæ falsæ sunt & friuolæ.

Sed hæc tria non curabimus, sibi nò penetrauerimus & Christi exempli, & magnitudinem meritorum ac præmiorum duraturorum per totam æternitatem, pro illâ breui confusione toleratâ: sed maximè, si ponamus veluti in statera, in vnâ lance Deum, & Dei opinionem de nobis, quam concipiet de nobis, si nos vicerimus in procuratâ nostri confusione, & præmia quæ secum habet nobis suo tempore pro hoc actu heroico danda. In alterâ lance ponamus Superiores omnes & alios apud quos nolumus esse in sinistra opinione, & inde ab iis malè tractari. Ita agnoscemus magnam esse stultitiam, fugere confusiones apud homines, & nolle confundi, sciendo per confusiones nos apud Deum eximia præmia in hac vitâ, & in alterâ acquisituros. Quia practicè & per fidei exercitium vincendo nos hac in re, ostendemus nos pluris facere, & eius opinionem, gratiam ac præmia, quàm hominum opinionem, gratiam ac beneficia. Resolue te ergo ad aliqua particularia, pro Deo & tuo capite crucifixo in tui confusionem faciendâ.

MEDITATIONES NOVM.

Pro diebus vacationum generalium.

De beneficio Prædestinationis.

Quia in octo vel nouem diebus Vacationum annuarum solet esse maior occasio vitæ liberioris; scripsi ante triginta annos, has nouem meditationes, accomodatas ad incutiendum magis timorem Dei, & amorem propriæ salutis, ne tunc anima per recreationes solito longiores dissipetur, & spiritus intepescat.

Primum Punctum. Considera quanta sit felicitas illius animæ, quam Deus in mente suâ habuit ab æterno, prius quam eam creasset, illam tenerè diligendo, & ex hac dilectione destinando ad tot beneficia, naturæ, gratiæ, & gloriæ suo tempore ei conferenda. Ex altera parte considera alia multa, quæ animam quamuis, in omnibus hominibus (excepto Christo Domino & B. V. Maria) reddebant indignam tali amore Dei, scilicet propria eius naturalis indignitas & vitia (collata cum infinitâ perfectione Diuinæ naturæ) tot aliis peccatis, futuris saltem venialibus scdanda, quibus tamen non obstantibus, Deus prædestinatorum animas diligebat, & ex earum in suâ mente præuisione, sibi complacebat. Vnde admirare Dei bonitatem, & felicitatem talium animarum, gratias age Deo pro tali bonitate, adoraque eam in Deo, tanquam fontem bonorum omnium, & excita in te hoc desiderium, vt sis vnus ex illis, quos Deus ita ab æterno amando, destinauit ad vitam æternam.

Secundum Punctum. Considera prædestinationem Dei, nihil aliud esse, nisi ordinationem Dei, qua Deus creaturam suam rationalem ordinat ad consecutionem æternæ beatitudinis, per quædam media supernaturalia, per quæ vult omnino efficaciter illam ad hoc certo tempore peruenire, & prorsus ex parte suâ infallibiliter. Vnde excita in te ingens desiderium à Deo illa media habendi, per quæ Deus præuidet saluandos illos, quos vult infallibiliter saluari. Nam sine illis mediis, nullum vnquam saluauit, aut saluabit, ne quidē Christi animam. Vt autem afficiaris valde & ardentè ad hæc media possidenda, à Deoque acquirenda, considera illorum præstantiam, vtilitatemque tuam ingentem, infiniti boni possessionem admirabilem adferentē iis, qui illa à Deo consequuntur.

Tertium Punctum. Considera nulli prorsus mortaliū sine peculiari Dei reuelatione, (quod fortasse valde paucis in hac vitâ conceditur) certò constare, quæ præcisè sint illa media in particulari, per quæ vnusquisque Prædestinatorum peruenire ad moriendum in gratiâ, & ita saluari debeat: vnde sequitur necessariò, illa media, quæ possunt hominem ex Dei beneficio retrahere à malo, & reducere ad bonum esse magnificienda, & nullum eorum vel paruificiendum vel omittendum. Pondera diligenter huius rei necessitatem, vt certam reddas tuam salutem. Hoc est enim quod monet S. Petrus 2. Pet. 1. vers. 10. *Frater sanguine, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciat.*

Quartum Punctum. Considera prædestinationem etsi Dei donum sit maximum, tamen non à solo Deo pendere salutem prædestinatorum, sed omnino requiri in adultis & ratione vten-
tibus, liberam cooperationem intellectus &

voluntatis, & exterioris obseruationis rerum, quas Deus vult obseruari. Quare stultè illi loquuntur, qui nihil volendo facere, totam suam salutem in Deum reiciunt; quocirca quæ Deus præuidet ex sua gratiâ saluandum, præuidet nõ aliter, quàm per media, quæ ei suo tempore propter hunc finem dabit, si eis vti vult, saluum fore: ideo illa amplecti, debet, aliàs peribit. Ex ardesce ergo amore huius cooperationis, quamque procura, & à Deo pete,

Secundo die.

De quatuor signis Prædestinationis.

Primum Punctum. Considera primum signum prædestinationis esse, plenam Dei mandatorum obseruationem: nam cum Christus dixerit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: quicumque illa seruabit ad mortem, sine dubio saluabitur. Danda ergo tibi est opera, ea vt serues; quòd si non seruasti antea, dole, & prout par est, pro non seruatis satisfacere stude, & ne iterum ea violes, talia adhibe media, quæ ad id conducere possunt, & qua illa sint, cogita, eaque amplectere.

Secundum Punctum. Considera secundum signum prædestinationis esse vitam crucibus plenam, quarum tamen non his culpabilis causa: *Arcta est via que ad cælum ducit, & pauci ingrediuntur per eam*; dixit Redemptor noster. Cogita, quænam sit arcta ista via, & in quo sita, & vide, an tu seceris illam, amesque, & emendatis quoad hoc defectibus tuis, mores tuos reformare stude, & ad viam hanc arctam accommoda.

Tertium Punctum. Considera tertium signum Prædestinationis esse, Christi imitationem: *Si quis mihi ministrauerit (inquit ille) me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Cogita ergo, quid sit Christum sequi & imitari, & quibus in rebus te illum imitari deceat, examinatis quoad hoc moribus tuis; & statim firmiter, in quibus rebus particularibus eum imitari debeas.

Quartum Punctum. Considera quartum signum prædestinationis esse, statum Religiosum ad mortem conseruatum: *Qui reliquit domum, vel fratres, vel sorores &c. cæsuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Gratias hic imprimis Deo age, quod te vocarit ad talem statum, cui promisit tam clarè vitam æternam. Excita deinde in te magnum amorem erga hunc statum, & cogita, quæ te possint ab illo retrahere, quæ item in eo retinere, vt illa vitæ, hæc ames.

Tertio die.

De quatuor aliis signis Prædestinationis, seu membris & partibus præteritorum signorum.

Primum Punctum. Considera bonum esse prædestinationis signum, conscientiam abhorrentem ab omni peccato etiam leuissimo plenè deliberato. Nam verum est, quod dixit Spiritus S. Apoc. 21. vlt. *Non intrabit in eam aliquid inquinatum.* Et cap. 14. de Sanctis dictum est. *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Hic, considera quàm æquum sit cogitare, tali conscientia præditos, verè ad Prædestinatorum Catalogum pertinere. Proinde excita in te amorem talis conscientie, mouis ad hoc desiderandum excogitatis, & tuâ circa hoc negligentiam deflectâ, emendationem propone.

Secundum Punctum. Considera Prædestinatorum proprium esse, carnem propriam affligere, iuxta illud Gal. 6. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis suis.* Porrius enim omnia, impedimenta salutis ex carne petulante oriuntur, vnde qui eam atterunt, magna habent inde salutis subsidia. Tu quomodo hac in parte te geras, inquire, & quæ corrigenda inuenieris, corrige impofterum stude.

Tertium Punctum. Considera Prædestinatorum & hoc esse peculiare, amare inimicos, idque tenetè, idque cum beneficiis adiunctis erga illos. Hoc Christus innuit dicens Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sicut filij Patris vestri, qui in cælis est.* Tu quomodo hoc Christi dictum adimpleas, perpende, & deploreatis tuis culpis, contraria proposita Deo offer, ad ductis in otium, ob quæ par est, te amare eos, à quibus, aliquid pateris, vel antea es passus.

Quartum Punctum. Considera hoc quoque Prædestinatorum esse proprium, affici ad res Diuitias & Spirituales. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: scilicet in Conuiuio cælesti.* Et *Qui esuriunt me, inueniunt me: qui querit me, eum non eiciam foras.* Tales autem esuriunt Deum & iustitiam, qui habent affectum ad res Dei & gustant illas. Tu an sis è numero illorum inquire, & causas, cur non es, & defleas tuis defectibus, cogita, quâ in te te emendare debeas impofterum.

Quarto die.

De impedimentis æternæ Saluationis.

Primum Punctum. Considera peccata mortalia esse immediata impedimenta salutis, quæ si non sint in animâ, eam saluari certum

est, si in tali statu mors contingat. Tu si conscientias peccatorum admissorum mortalium, defle tuam infelicitatem, & vide, an ea ex animâ sufficienter excluderis, & tam efficaciter te resolue ad eorum odium, vt moraliter loquendo, ne quidem possis in ea labi, fretus Diuina gratia; iuxta illud i. Ioan. 3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, non potest peccare,* scilicet mortaliter.

Secundum Punctum. Considera viam per quâ quis devenit ad peccata mortalia; ea est, contemptus peccatorum venialium, & non talis eorum fuga, qualis esse debet. Hoc patet & experientia, si res tuas benè introspexeris, & exemplis etiam bonorum. Sic enim & Adamus cû Eua, sic David, sic Iudas, & alij quoque Sancti prolapsi sunt, à paruis ad detestanda. Tu inquire an abhorreas à peccatis leuibus, vel potius an illa non cures, & prout in te inuenieris, ita statue impofterum, vel vitare ea, vel pergere in iis vitandis, assignatis præcipuis quæ te possunt petrabere ad lapsus graves: quod cognosces, consideratis peccatis, inclinatione ad illa, fragilitate tuâ, & similibus.

Tertium Punctum. Considera secundam viam delabendi ad peccata mortalia esse, non sequi monita Superiorum, qui & experientia in multis, & Sanctorum testimonio edocti, quædam vetant, quæ videntur leuia, quæ tamen sunt maximi momenti. Tu an hac in parte te benè geras, vide, & adnotatis iis rebus, in quibus discedis à consiliis Maiorum, seridè te impofterum corrige.

Quartum Punctum. Considera tertiam viam incidendi in mortalia, esse defectum luminis in intellectu, peccati turpitudinem & pericula ponderantis, & carentiam odij peccati. Vtrumque nascitur ex defectu diligenti Meditationis, in qua Deus intellectum illuminat ad cognoscenda necessaria, & voluntatem mouet ad bona. Vide ergo vt hac in parte te emendes.

Quinto die.

De auxiliis ad æternam salutem consequendam.

Primum Punctum. Considera primum auxiliolum esse, Omnipotentis Dei charitatem, qui *omnes vult saluari, & neminem perire:* quæ charitas si ad quempiam non se extendat efficaciter, non saluabitur. Cum ergo charitas Dei pro obiecto habeat bonum, vt circa te versetur, bonum te esse oportet, qualis vt sis, ipsa hoc efficit, comm unicando tibi dona Spiritualia, quæ te bonum in oculis Dei faciunt. Ideo cauendum est tibi, ne peccatis tuis obicem ponas in te donis istis, eisque aditum præcludas, quin potius vt illa expetas, admittas in te, Dei gratiâ aditus,

adiutus, & ad mortem conferues, vt ita saluari queas. Hoc an facias exquire, & si quid corrigendum est, serid & citò corripere.

Secundum Punctum. Considera secundum auxilium ad salutem, esse merita Vitæ, Passionis, & Mortis Christi, eaque infiniti valoris, ob infinitam dignitatem Personæ, Dei Incarnati, talia pro te passi; hinc concipies magnam spem salutis tuæ, tam magno auxilio fretæ. Deoque ingentes ages gratias pro tanto beneficio. Ad extremum exquires à te rationem, cum infinitum habeas paratum auxilium, tamen tam exiguum in te fructum cernis. Hæc benè pondera, & obstacula tolle.

Tertium Punctum. Considera tertium auxilium esse ad salutem, efficaciam Sacramentorum quæ in Ecclesia Dei tam sæpe percipis, per quæ ritè suscepta fidelibus effectus Christi Passionis & Mortis, intimè applicantur, per infusionem internam variarum virtutum & donorum caelestium, & per extrinsecâ varia auxilia, ad auocandum hominem à malo & ad conducendum ad bonum, & ad confirmandum in bono spectantia. Hic admirare bonitatem optimi Patris tui caelestis, qui per res tam faciles & tam accommodatas fragilitati tuæ, tam multos & magnos thesauros communicat. Et gratiis actis, iterum inquire, cur tam exiguum fructum percipis, ex tam frequenti Sacramentorum perceptione, & impedimenta remoue.

Quartum Punctum. Considera. Quantum auxilium ad salutem, gratiæ diuinæ motiones conferant, quibus & intellectus tuus illustratur in cognitione rerum ad salutem spectantium, & voluntas mouetur, tum ad odium mali, tum ad amorem boni. Hic inquire, quàm sæpe has diuinæ gratiæ motiones & impulsus in te sentias, & ad quæ obiecta, seu res sapias, & deploratâ tuâ, seu duritiæ, seu inobedientiâ, imploratâque diuinâ ope, propone emendatione, annotatis præcipuis hæc in parte, defectibus impostum cauendis.

Sexto die.

De aliis auxiliis ad salutem æternam.

Primum Punctum. Considera plurimum promouere nostram salutem, bona exempla Sanctorum, tum viuorum, tum mortuorum. His enim plurimi moti sunt ad conuersionem & vitam Sanctam, inter quos & S.P.N. Ignatius fuit. Vnde æquum est, nos eius filios, his excitari modis ad ardentem curanda nostræ salutis immo & perfectionis negotia. Confer ergo vitam tuam cum vitâ Sanctorum, præsertim Societatis nostræ, & agnitâ magnâ differentiâ inter vtramque, deplora tuam tepiditatem, & excita te ad studium eos imitandi, consideratis motiuis, quæ te ad id excitare possint.

Secundum Punctum. Considera sacras Conciones plurimum prodesse ad hominum salutem, etiam si sint rudes & ab indoctis fiant. Placuit enim Deo (vt ait Apostolus 1. Corinth. 1.) Per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ad sacras Conciones referri possunt monita, & exhortationes virorum Spiritualium. Tu considera quo fructu hæc audias & si quid est hac in parte corrigendum corripere.

Tertium Punctum. Considera vitæ huic aduersitates promouere tuam salutem, si eo quod par est modo suscipiantur. Per multas enim tribulationes, oportet nos ingredi in Regnum cælorum. Et, Nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Cur ergò molestè fers, dum aliquid patieris, cur non proficis, dum patieris: vt solent amici Dei, qui tunc sunt feruentiores in Domino obsequio, cum affligantur magis.

Quartum Punctum. Considera Superiorum vigilantiam esse non postremum auxilium ad consequendam salutem, illi enim, vt vicarij Dei, Deo dirigente, experienciâ instigante, præuident pericula salutis, ideoque multa negant, pleraque vetant, alia iubent vel suadent, vt recto tramite suos ducant ad cælum. Tu autem debita simplicitate & obedienciâ ductû eorum sequaris, & an Christo practicè credas dicenti: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit; Examina te, & totum te trade Deo, per eius Vicarios regendû, ne à viâ salutis abertes.

Septimo die.

De incertitudine salutis.

Primum Punctum. Considera Neminem esse Sanctorum in hac vita certum de sua salute, vt definiuit Concilium Tridentinum, nisi id Deus peculiari modo alicui reuelet. Vnde sequitur, cum tali reuelatione cateamus, & ex alterâ parte certò sciamus, nos multa peccata commisisse (fortè omnes) Job quæ promeriti sumus æternam damnationem, quanto perè nobis laborandum sit, ne à Iusto Iudice Deo dannemur: ideo danda est nobis opera, eum vt nobis fauentem & amicum habeamus, quod quâ ratione assequi possis cogita, & labora.

Secundum Punctum. Considera, neminem certum esse infallibili certitudine, an adhiberit eo modo illa media, quo debeat, ad nostram salutem instituta à Deo. Scilicet Sacramenta, per quæ peccata nobis ex Dei misericordia vigore Christi meritum remittuntur. Ideo cû ait S. Spiritus: Cum tremore & timore opereris tuâ salutem, & his mediis accuratè vtaris, tantò magis, si fortè conscius es, te malè vsum his mediis, ne tandem Deus illa tibi adimat ante mortem, quia te facis illis indignum, malè iis vtendo.

Tertium Punctum. Considera, etsi esses certus de te, saltem certitudine morali, quod benè

vtaris his medijs ad consequendam salutem datis, diuinitus tamen non est certus infallibili certitudine an Sacerdotes, alijue, quorum ministerio opus est ad vim Sacramentorum percipiendam, rectè tibi ea applicuerint. Et quidem benè debes de illis sentire nec scrupulis dare locum, tamen quia id non est infallibile, ideo time, & Deo feruenter seruire stude; nam non deserit eos, qui eum ex intimo affectu diligunt, & diuinà suà prouidentia inducet te ad cognoscendum, si quis defectus contigit ex parte eorum, eum vt emendes, & salutem tuam confulas: quod Diuina bonitas varijs modis præstare potest & solet, vel per lectionem librorum piorum, vel per colloquia pia, vel per conuersationem cum certis Personis, vel alio modo, vt agnoscat error & corrigatur.

Quartum Punctum. Cum salus tua sit arduum negotium & incertum: hoc certum est, debere te nihil omittere eorum, quæ ad eam conducunt. Ideo exequere illud S. Spiritus monitum: *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas.*

*Octauo die.
De difficultate salutis.*

Primum Punctum. Considera: Neminem posse saluari, imò nec minimum opus bonum, quod ad salutem conducit, imò quod ad salutem æternam disponat, posse ab vilo mortali fieri, solis naturæ viribus, etiam generale Dei auxilium & concursum habentibus. Nam si: *Nemo potest dicere D. Iesus, nisi in Spiritu Sancto:* vt ait Apostolus, multò minùs à nobis fieri possunt opera, quæ verbis pijs sunt difficiliora, sine speciali auxilio gratiæ Dei supernaturalis; Hinc agnitâ naturali imbecillitate, imò impotentia, time, humilia te, non præsumas de tuâ salute, sed eam pete à Domino Deo magno seruo, vt suppleat defectum virium tuarum.

Secundum Punctum. Considera solâ Dei supernaturali gratiâ (quam ob Christi merita confert, quibus vult) hanc nostræ naturæ imbecillitatem iuuari: quæ auxilia nemo potest hominum mereri, vel conciliare, vel impetrare sibi, alijue, per opera sine supernaturali Dei adiutorio facta, sed opus est, vt Christus caput omnium, applicando infinita merita sua, infundat in membra sua, illa supernaturalia auxilia, quæ sunt necessaria ad meritum & consecutionem salutis æternæ. Ideo curandum est tibi diligenter, ne Christum tibi reddas peccatis tuis offensum, peccata enim tua sunt impedimenta, ne Christus tibi sua auxilia largiatur, & postquam ea tibi offert, ne suum in te effectum fortiantur. Et sic verum est illud Prophetæ: *Perdicio tua ex te Israel.*

Tertium Punctum. Considera multa impedi-

menta salutis tuæ profuere ex creaturis ipsis, si quis non benè ipsis suâ culpâ vtatur. Ideo Sapiens ait cap. 14. *Creatura Dei in odium facta sunt & in tentationem animabus hominum, & in insipientiam pedibus insipientium.* Tu an non id expertus sis, vide, & deploratâ tuâ insipientiâ præteritâ, statue, quomodo iis impostero vti debeas, ne per illas salutis tuæ iacturam facias.

Quartum Punctum. Considera tuos hostes duos, internum carnem rebellem cum affectibus tuis indomitis, & externum, diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Vide ergo quomodo te vtrique opponere debeas, ne in negotio salutis succumbas, vt hæcenus forte non semel succubuisti.

*Nono die.
De præstantia salutis.*

Primum Punctum. Considera id in quo est sita salus tua, scilicet in clarâ Dei visione per intellectum, & fruitione eius, omni bono & voluptate cælesti plenâ, per voluntatem: quæ res est summum & vltimum bonum hominis, quo maius habere nequit, propter cuius consecutionem homo creatus est, & hoc bonum etiam ipsius Dei est summa felicitas, licet in illo sit infinitis partibus maius, quàm in nobis. Vnde sequitur hoc bonum esse maius omnibus honoribus Regum & Imperatorum diuitiis omnibus, voluptatibus, & delitijs huius vitæ. Gratias age Deo, quod te creauit ad finem tam nobilem & altum, & excita in te ac semper cõseruare stude, heroicum desiderium consequendi hoc bonum.

Secundum Punctum. Considera omnimodam diligentiam, quâ debes procurare huius boni consecutionem multis laboribus, ærumnis, difficultatibus, molestiis, aduersitatibus parandam, quod cognosces te debere facere, si consideraeris, quàm multa & graua patiantur Coloni, propter victum quærendum; famuli propter stipendia, mercatores & opifices propter lucra, milites propter famam & diuitias, alij propter alia. Vnde sequitur te plura his & diligentius debere facere & pati, quàm illi faciant & patiantur, siquidem maius bonum exigit maiorem curam & tolerantiam.

Tertium Punctum. Considera. An hæcenus ita laboraueris pro consequendâ tuâ salute, vt dictum est fieri à mundanis, pro consecutione honorum mundanorum. Ideo hic deplora tuâ stultitiam, Deum placare stude, ne offendatur ingratitude tuâ, & seriam in aliquot rebus particularibus propone emendationem.

Quartum Punctum. Considera quibus modis tam multi Reges, Episcopi, Monarchæ, etiam in delitijs enutriti, tamen ardentè quæserint salutem suam, per vias valde arctas, & sensibus aduersantes. Item, quàm multæ teneræ Virgines,

nes, Martyres, Eremitæ, aliique Confessores Sancti. Ideo eorum exemplo accendere ad imitationem eorum dignam statu tuo, vocatione tuâ, tot auxiliis, quæ ad hoc habes, non tantum vt salueris, sed vt quàm proximus sis Deo, in Cæli cælesti, propter maiorem eius gloriam, & consolationem Christi Redemptoris tui.

Contra Pusillanimitatem.

Oratio præparatoria more solito.

Primum Prælium erit: Aspicerè Christum Dominum sedentem, ad dexteram Patris, verba sua illa repetentem: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis &c.*

Secundum Prælium erit: Petere à Spiritu S. gratiam, penetrandi intimè eximiam Dei erga nos charitatem.

Primum Punctum. Considera primum motuum sententiâ de Deo in bonitate, & hoc sensu pusillanimitatem & Spiritus & cordis angustiam repellendi esse æternam Dei dilectionem, eamque infinitâ; ex qua ortum est, quod ait S. Petrus: *Nolens aliquem perire, nisi quis ipsemet perire velit*: Vnde benè Osiâ Propheta Spiritu Dei ait: *Perditio ex te Israel.* Cum ergo tu nolis perire, & hoc ipsum nimium timens, angustum cor habeas, excute has angustias, & crede Deo, ac de eius bonitate benè senti, quòd te nunquam abiiciet à se, si tu nolis, vt Dei beneficio non vis.

Secundum Punctum. Considera secundum motuum contra pusillanimitatem esse Dei dilectionem, quâ fertur in te, quæ maior est procul dubio, quàm sit & tuus, & Patris, aut matris aut sororis tuæ, vel si non habes, quàm sit alicuius alterius serui Dei (si quem nosti esse magnū Dei amicum & Deo charum) erga te Spirituâlis amor & erga tuam saluationem. Sicut ergo non desperares, nec te metu conficeres, si tuam saluationem scires positam in tuo arbitrio, vel arbitrio illius serui Dei, immò positivè certò confidètes ab illo te saluandum, multò magis id sperare debes à maiore Dei erga te dilectione.

Tertium Punctum. Considera tertium motuum eiusdem rei, esse Christi Redemptoris nostri affectum erga te, tanquam Capitis tui erga membrum suum, quod ei cupiat esse charum, & conetur esse. Sicut enim *nemo carnem suam odio habuit*, vt ait Apostolus, ita multò minus Christus odit ea membra quæ ei volunt esse vnita, & ideo timent ne abscondantur, & ne abscondantur eum rogant suppliciter, & ad impetrandum hoc efficacius, varia media adhibent, scilicet, preces seruorum Dei, eorundem consilia, & Sanctorum intercessionem, & alia.

Quartum Punctum. Considera dulcissima illa

verba Concilij Tridentini, ex Sacrarum literarum doctrinâ decerpta: *Deus suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Id eo cum ordinatum medium ad iustificationem SS. Sacramentum penitentia: eo modo susceperis quo optimè potuisti (susceptâ cum humili spe Dei iustificatione) & sollicitus sis ne deseraris à Domino, hoc ipso non vis eum deserere; & ideo non timeas, non deseruit te, nec deseret, quàm diu habeas hanc voluntatem eum peccato mortali non offendendi. Id eo potius pete vt conseruet hanc voluntatem in te, & desiderium eius gratia: resecatâ ab eo nimia anxietate & cordis angustia.

2. De eadem materia.

Primum Punctum. Considera Deum, vt in aliis virtutibus, ita etiam in spe vellè nos crescere, & esse perfectissimos, spiritus autem pusillanimitatis directè tendit ad spei diminutionem, Quocirca tantum abest, vt Deo placeat, vt potius displiceat, tanquam inclinans ad malè sentiendum de Diuinâ misericordiâ, quâ Deus vti alias perfectiones suas cupit à nobis magni fieri, non tantum verbis, sed maximè interno iudicio & eximio conceptu de illa.

Secundum Punctum. Considera Christum Dominum vt Redemptorem nostrum, cupere, vt de Passione eius ac meritis, ac de efficacia Redemptionis nostræ quàm optimè sentiamus, hoc enim in eius gloriam redundat, & commendationem eximie eius erga nos charitatis. Quocirca quò magis iudicio nostro extendemus eius merita, eò ei etiam maiorem cultum deferemus, atque ita ad te quoque extendere opus Redemptionis eius, humili affectu cogitando, se esse illius participem, tum per infusionem gratia: per sacramenta quæ frequentas, tum per destinationem tui ad gloriam, ad quam consequendam ius tibi quoddam tributum est per infusionem gratia: in Sacramentis, & per bona opera supernaturalia.

Tertium Punctum. Considera Spiritum S. vt infinitum amorem Patris & Filij, vt fontem bonorum omnium, vehementer se communicare omnibus hominibus qui eius gratia obicem non ponunt. Quare cum vnus tantum sit obex gratia:, affectus ad aliquod peccatum mortale, seu mansio in eo cognito, eum per Dei gratiam hunc in te obicem non agnoscas, ne dubites coniecturali certitudine, te esse ei gratum, & semper fore, quamdiu habeas hanc animi auersionem à quouis peccato mortali.

Quartum Punctum. Considera Dei bonitatem, quæ non excludit te à numero suorum filiorum, etsi in te videret multa peccata mortalia confessione non expiata, si ea ex ignorantia aut obliuione inculpabiliter omisit. Immo

Immo existima omnia talia peccata esse remissa per susceptionem legitimam Sacramentorum. Quid ergo est quod te affligit, si peccata ipsa tali ex causa non confessâ affligere non debent. Tantum ergo da operam, ut ad ea non redeas, quod facile Dei auxilio poteris.

3. De eadem materia.

Primum Punctum. Considera dulcissima illa verba Apostoli: *Saluator noster Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* & causam huius rei additam: *Vnus enim Deus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro nobis omnibus.* Cum ergo Christi Redemptoris vis maior sit omnibus peccatis tuis, & cum ea sit coniuncta voluntas te saluandi, spera in Deo, & in diuitiis bonitatis eius, quia ut ait Spiritus S. *Nullus sperauit in Domino & confusus est.*

Secundum Punctum. Considera signa & effectus Diuinæ voluntatis volentis nos saluare, nō posse esse certiora, quam si det media ad salutem simpliciter necessaria. hæc autem in adultis sunt, vera fides, & vita seruans mandata Dei. Cum ergo vtrumque Dei beneficio consecutus sis, es enim in vera Ecclesia, & seruans Decalogum, & nullum præceptum a te, quod scias, violatum est, quod per Confessionem non expiari, & post illam caues quāto potes ne violes. Ideo quamdiu manes in tali statu, existima Deum velle vt salueris.

Tertium Punctum. Considera finalem quoque perseverantiam in vitâ benè cceptâ; te sperare debere à Deo, Deus enim, vt in hac te differens ait ex Apostolo Concilium Tridentinum, nisi illius ipsi gratiæ defuerint (per homines) *sicut capit opus bonum, ita perficiet operans velle & persicere.* Tantum ergo da operam, ne Deum peccato mortali offendas, quod solum Dei gratiam excludit, de cætero lætus esto.

Quartum Punctum. Considera teneri Deum ex fidelitate promissionis suæ saluare te, si hoc à Deo petieris, & simul vt tibi det omnia ad hoc necessaria, siquidem orantes se exauditurū promisit. Tu ergo pulsa fores Diuinæ clementiæ assiduis precibus, duo ab ea petens. *Primo*, vt te saluet. *Secundo*: vt det tibi efficacia media omnia ad finalem consecutionem salutis, & ne dubita adfuturam tibi eius misericordiam, qui dixit: *Omnis qui petit accipiet, & qui quatit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

4. De eadem materia.

Primum Punctum. Considera primum signū electorum, auersionem animi à peccatis mortalibus, & vitam ab eis liberam; quæ duo cum tibi Dominus dederit & in te foueat, lætus esto; tantum da operam, vt hæc in te semper permaneant, quibus manentibus, temeri-

tas esset timere damnationem vel imperseuerantiam in benè cceptis.

Secundum Punctum. Considera secundum signum electorum, quod est, esse Religiosum, iuxta illa Christi verba: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quod cum Dei beneficio feceris, lætus esto; tantum da operam, vt in hoc statu perseueres ad mortem, hoc autem poteris sperare in posterum, si tam diu perseuerasti, quia indies vita Religiosa erit facilior.

Tertium Punctum. Considera tertium signum electorum Dei, habere animum auersum ab omni peccato veniali plenè deliberatè comitendo. Quod etiam cum tibi Deus dederit, lætus esto, tantum contende, vt hanc bonam voluntatem foueas; fouebis autem diligenti Diuinatum rerum cōsideratione & piis colloquiis, quod cum in tuâ potestate sit, poteris Diuino auxilio magis ac magis indies accendere in te hanc ab omnibus defectibus animi auersionē.

Quartum Punctum. Considera ad perseverantiam in Dei obsequio & gratiâ, plurimum conducere arctam viuendi modum; qui situs est in duobus. *Primo*. In corporis sensuum oblectamentis non necessariis protus fugiendis; immo etiam ex necessariis parcissimè & læpè cum incommodo (citra tamen valetudinis iacturam) adhibendis. *Secundo*, in vitâ irreprehensibili, quam adfert custodia exacta Regularum omnium etiam minimarum. Quare hæc duo cura, quæ si habes, proce te in Diuinas manus, quia non derelinquet quem sic se quatentē, sibi que adhærentem inuenierit.

5. De eadem re.

Primum Punctum. Considera illa Christi Domini verba dulcissima: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me non eiciam foras.* Cum ergo ad Christum veneris, & à malâ vitâ ad meliorem, & à statu seculari ad Religiosum, præsertim tam ordinatum, sanctum, & Iesu charum, gratias age, quia te Pater æternus traxit ad Iesum, Iesus autem promisit te talem non abiceturum. Tantum da operam, ne te illi eripias per vitæ improbitatem, à quo quoniam abhorres lætus esto, & ora Deum, vt semper magis ac magis abhorreas.

Secundum Punctum. Considera alia Christi verba: *Hac est voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedi mihi, non perdam ex eo.* Quare cum Christus semper exactissimè & perfectissimè Patris sui voluntatem impleuerit, & velit nunc impleram; cum Dei Patris ope ad Iesum vocatus sis, eique datus, eique votis etiam obligatus, spera in potestate & dilectione Iesu, qui te non velit perditum, nisi tu ipse velis.

Tertium Punctum. Considera alia Christi verba: *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui credit in eum, habeat vitam æternam*, scilicet qui credit fide per dilectionem operante. Cum Dei beneficio habeas talem fidem, saltem (quod satis est) non agnoscas in te vllum peccatum mortale decalogo contrarium, quod solum tollit Dei dilectionem in adultis, spera in Deo & dic ei: *Domine, fiat ista tua sanctissima voluntas*; & hoc sensu sæpe hæc verba in corde repete: *Domine fiat voluntas tua.*

Quartum Punctum. Considera, si voluisset Dominus te perdere, & non saluare, non fuisset opus te ad Religionem vocare, sed satis fuisset, relinquere in malâ vitâ, vel in seculi statu adco periculoso. Cum ergo te vocarit ad domicilium suorum dilectorum, saltem propter eos qui orant pro te & amant te, non sinet te perire. Nam si propter decem tantum iustos, illas nefandas ciuitates actu peccantes, tot millia sceleratorum habentes, noluit perdere: quâto magis te vnum & solum, propter tot millia Dei dilectorum saluabit, quorum merita & bona etiam tibi profunt per Communionem Sanctorum quam profiteris in symbolo, & propter peculiarem vocationem Religiosam.

His adde verba S. Augustini miræ consolationis in Psal. 148. quod promisit, ut viuas cum illo: *Incredibilis est, quod mortuus est æternus, quàm ut viuat in æternum mortalis.* Iam quod incredibile est, tenemus: si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo: non est victurus mortalis in æternum propter quem mortuus est qui viuuit in æternum.

De modo imitandi Christum Dominum.

Primum Punctum. Considera quibus in rebus debeas Christum imitari potissimum autem in quatuor. *Primo.* Ut quàm maximè ad Christi impeccabilitatem accedas, peccando rarissimè, leuissimè & cum minimâ deliberatione. *Secundo.* Omnes actiones faciendo quàm perfectissimè, hoc est iuxta quadruplicem ideam cui te conformare debes, scilicet iuxta Regulas, iuxta communem & ordinariû modum procedendi Societatis, iuxta Superiorum ordinationem & iuxta lumen internum quod tibi Deus communicat prioribus deis conforme. *Tertio.* Eniti debes ut in actionibus tuis Dei gloriam quæras, eamque quàm maximam, sicut Christus quæsiuit. *Quarto.* Ut patiaris ad similitudinem Christi cum his conditionibus. *Prima.* Etiam sine vllâ culpâ. *Secunda.* In omnibus rebus in quibus pati potes, & quoad corpus & quoad animam. *Tertia.* Sine cessatione si fieri poterit & continuo: *Quarta.* Grauiissima quæque & maximè iniuriota, ac molesta præfertim propriæ existimationi, proprio iudicio,

proptiâ voluntati, propriis commoditatibus corporis in cibo & potu, in loco habitationis, in ipsâ habitatione, in occupationibus & laboribus, in vestitu, in recreationibus & similibus. In Colloquio peres veniam à Christo ob præteritam vitam tuam malè tractatam, peres gratiam quæ te erigat ad nouam vitam, gratis agas, quod tibi permittat, ut possis te illi reddere quàm simillimum, & quàm proximè ad eum in cælo gloriam accedere. Denique offeres illi aliqua peculiaria proposita seu res in quibus solum imitari cupis in posterum. Concludendo Colloquium illo responso quod est in fine contemplationis de Regno Christi: *En ò Rex super me, vel simili.*

MEDITATIONES.

Pro Triduana Collectione ante Renouationem votorum.

Prima. De motiuis ad perfectionem acquirendam & sanctitatem.

Oratio preparatoria solita.

Primum Prælium. Imaginate te esse in spiritu translatum ad cælum, ibique genua flectentem coram SS. Trinitate, & Christi Humanitate, & coram omnibus Angelis & Spiritibus Beatis Thronum SS. Trinitatis cingentibus, & ante te Beatissimam Virginem Mariam, cum tuo S. Angelo Custode & præcipuis Sanctis Patronis tuis tuam causam ibi acturus.

Secundum Prælium. Pete à Deo per merita & intercessionem Sanctorum Deo assistentium efficacem gratiam cognoscendi intimè & immutabiliter obligationem tuam, quæ tenetis ad acquirendam vitæ & morum tuorum perfectionem.

Primum Punctum. Considera primum motiuum quærendæ perfectionis, esse Dei voluntatem declaratam nobis per Dominum Iesum, per Apostolos, & Ecclesiæ S. Doctores. Hanc enim exigunt à nobis illa Christi verba: *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est* Matth. 6. vlt. Et illa Apostoli: *Legit nos in ipso ante mundi constitutionem, vestimus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate* Ephes. 1. 4. Hoc ipsum docuit S. Augustinus sermon. 13. de temp. & S. Thomas Opusculo 57. *Factus est, inquit, Deus homo, ut homo fieret Deus.* Quibus verbis aliquantulum ponderatis, duo agnosce, & menti profundè imprime. *Primo.* Dei erga te benevolentiam admirabilem, qui dignatus est te in tali statu collocare, in quo possis fieri ei similis in perfectione & sanctitate. *Secundo.* Felicitatem tuam summam, quia potes eius beneficio ascendere ad throno

Diuina

Diuinæ Maiestatis locum & felicitatem proximam. Vnde par est vt toto animi conatu resoluas te ad conformandum te hac in re, tam benignæ erga te Diuinæ voluntati.

Secundum Punctum. Considera motium secundum quærendæ perfectionis & sanctitatis, esse conditionem tui status religiosi. Cui enim ipsi sæculares, ad quos etiam spectant illa Christi & Sanctorum verba in primo puncto allata, suo modo teneantur attendere perfectioni acquirendæ, vnde adhuc in lege veteri, imperfectâ licet, vxorato Abraham dictum erat à Deo: *Ambula coram me, & esto perfectus* Gen. 17. 1. multò magis tu teneris esse perfectus, tum quia ratione status Religiosi (maximè si es Sacerdos altissimi) teneris esse perfectior sæcularibus, tum quia id facilius quàm sæculares assequi potes, eò quòd habes in Religione sublata illa impedimenta sanctitatis, quibus sæculares velint, nolint, sunt irretiti; & habes propria auxilia ad perfectionem eximiam assequendam tam multa, & communia, cum aliis Religiosis, & propria tui Ordinis, tum quia Ordinis tui proprii finis est, attendere etiam propriæ perfectioni, non tantum saluti. Vide ergo quanto iure à te exigat Deus eximiam perfectionem & Sanctitatem, Sanctitatem sæcularium maiorem, & quantopere debeas eam quærere,

Tertium Punctum. Considera tertium motium ad quærendam perfectionem & sanctitatem, esse ipsum Christum solum, et si alia motiua & auxilia deessent. Nam hanc ob causam Christus tam acerbe & ignominiose occisus *Ephes. 5. 2. 7.* est, teste Apostolo: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sancta, & immaculata.* Cum ergo Christi mors res fuit adeò eximia, & ratione humanitatis eius, & ratione Diuinitatis, cui per eam magna ignominia & iniuria inferebatur, & ratione omnium modorum possibilitium patiendi omnia aduersa, molestia corpori & animæ, & ratione nostræ indignitatis, & demeritorum, exardescere seraphico desiderio assequendæ Sanctitatis tam altæ, vt sit digna tot Christi tui sudoribus, laboribus, plagis, vulneribus, effusione sanguinis eius, & ipsâ morte, ac animâ eius, quàm separauit à corpore adeò violentè & ignominiosè, vt tu separares te à vita imperfectâ, & ad perfectam transires, tanquam finem ab eo intentum, & fructum correspondentem tot eius meritis & laboribus ac doloribus tui causâ pro hac re per annos 34 susceptis.

Quartum Punctum. Considera quartum motium quærendæ Sanctitatis, esse carnem & Sanguinem Christi, quem tam sæpe intra te recipis. Nam si qualitas cibi temporalis relinquit in corporibus, à quibus sumitur, similes

Lancicij Opuscul. Tom. 2.

qualitates, quantò magis hic cibus cælestis, in quo sumitur ipse Deus ac fons & causa meritoria, & effectiua omnis possibilis sanctitatis. Cur ergo illa in tuis potentis, in tuis membris, in tuis sensibus, in tuis actionibus internis & externis non apparet vel vlla prorsus, vel vldè exigua, vel certè non tanta, quantam metetur sanctimonia Dei, & humanitatis Christi, quâ pascaris tam sæpe? Resolue te itaque ad mutandos mores, & deinceps ad procurandam toto conatu tuo, eximiam sanctitatem cum Diuinâ gratiâ.

Colloquium erit plenum his quinque affectibus. *Primo.* Procide ante thronum Dei, ita vt supra dictum est positum, erubescens præ pudore & ingratitude, & stultitiâ tuâ extremâ, quod tam imperfectè viuendo tantò bono & felicitate tibi oblatâ te priuaris hucusque. *Secundò.* Veniam à Diuinâ Maiestate pete. *Tertiò.* Detestare hanc tuam & negligentiam & inurbanitatem. *Quartò.* Adhibe Patronos tuos ante te testantes, vt tibi impetrent veniam, & gratiam quærendi deinceps perfectionem omni conatu. *Quintò.* Hoc ipsum pete à Diuina Maiestate, promittens illi emendationem.

S E C V N D A.

Oratio preparatoria & preludia eadem, qua in prima Meditatione.

Primum Punctum. Considera sanctitatem & perfectionem principaliter consistere in amore Dei. Charitas enim vt ait Apostolus, *perfectior est virtutibus, quæ vocantur Theologica, scilicet fide, & spe, & finis præcepti est charitas: & in dilectione Dei ex toto corde, & proximi sicut nostri, vniuersa lex pendet & Propheta.* Ideo qui Sanctus esse vult, principaliter laborare debet, vt quam maximum amorem erga Deum habeat.

Secundum Punctum. Considera amorem erga Deum requisitum ad perfectionem, hoc tanquam fundamentum exigere, vt seruentur omnia præcepta: *Hæc est enim, charitas Dei, inquit dilectus Christi discipulus, vt mandata eius custodiamus.* Cum autem tua Sanctitas debeat esse longè maior, quàm sæcularium, tum ratione finis tui, tum ratione mediocritatis & auxiliorum, quæ habes pro eâ assequendâ, tum ratione impedimentorum sæcularium, quæ sublata sunt, tum ratione status tui, qui est status perfectionis acquirendæ, vide quàm perfectè debeas seruare omnia mandata Dei: & examina te, quomodo ea hæcenus seruaueris, & desse, si quos inuenieris lapsus contra Dei præcepta, & corrige corrigenda, & emenda te.

Tertium Punctum. Considera amorem hominum

Eccc 2 num

num erga alios homines, præsertim sibi intimè charos, contentum non esse solâ obseruatione mandatorum amici, sed sponte propriâ adiungere multa; excogitare varia; & donare quæ putantur dilecto amico placitura. Cû ergo in Deo sint omnia motiua, quæ esse possunt & excogitari in summo amico homine, eoque infinito intervallo præstantiora, hinc agnosces, te debere ad Præcepta Dei addere multa alia Deo accepta & grata. Quomodo autem hoc practices, examina te, & exequi stude.

Quartum Punctum. Considera illud verissimum dictum S. Gregorij: *Probatio dilectionis, est exhibitio operis.* Cum ergo agnoueris te debere ex amore erga Deum, plura opera quàm sola Præcepta Deo offerre, vide quæ sint illa quæ ad Præcepta adiungere debeas, & generoso animo ea Domino offer, & firmiter statue, quomodo deinceps in iis frequentandis te occupare, & præseruare debeas: præsertim omnia ea, quæ nobis in Regulis commendantur difficultioribus, uti est Regula 8. 9. 10. & 11. Summarij.

T E R T I A.

Primum Punctum. Considera ad Perfectionem Euangelicam spectare etiam secundariò, ut ait S. Thomas, & colligitur ex Evangelio, *amorem Proximi*, ita tamen, ut non propter se, sed propter Deum, tanquam quid ad Deum spectans, & à Deo amatum ametur: quam ob causam dicitur Roman. 13. 8. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Quocirca iuxta mensuram dilectionis Dei volentis etiam Proximorum nostrorum, licet inferior Dei amore, circa ipsum Deum occupato.

Secundum Punctum. Considera modum quo amandus est Proximus, esse nobis ab ipso Deo præscriptum: *Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum.* Vide ergo quomodo te diligas, & quibus in rebus tuam erga te dilectionem ostendas, & inquire, an id quoque præstes tuo Proximo, & si quid intueris emendandum emenda. Inuenies autem, si quod tibi nolles dici vel fieri, dicis vel facis Proximo: & quod velles tibi dici vel fieri, non dicis nec facis proximo.

Tertium Punctum. Considera inter Proximos quos propter Deum diligere debes, esse quoque inimicos, si qui sunt, tuos, saltem eos, qui vel sunt, vel fuerunt causa alicuius molestiæ tuæ, & te aliquâ re offenderunt. Nam & tales Christus Dominus diligere, & orare pro eis, & iis benefacere, & ut hoc præstemus ex animo, in oratione Dominica quotidie nos dicere vult verba illa: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ut si volumus nobis à Deo dimitti longè maiores & plures offensas, quibus eum ad iram prouocamus,

etiam eas Proximorum nostrorum dimittimus offensas, quibus nos irritant. Quod an, & quàm perfectè facias, vide, & quod tibi in hac materiâ vis præstari à Deo per te offendi solitus, hoc quoque pro Deo iis exhibe, à quibus putas te aliquâ iniuriâ vel molestiâ affectû. Quomodo autem id præstes vide, & præstare deinceps stude.

Quartum Punctum. Considera excellens motiuum, quo Christus Dominus commendauit nobis amorem inimicorum, & eorum, qui est inimici nostri non sibi, tamen sunt, vel fuerunt causa alicuius nostræ afflictionis: *Ut sitis, inquit, filij Patris vestri, qui solem oriui facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Quod quàm sit excellens perpende, & heroico animo statue, quomodo & quibus in rebus erga tales tuam deinceps dilectionem demonstrare debeas, ut sis filius Patris cælestis, & tanquàm filius heres Dei, & coheres Christi, ut loquitur Apostolus.

Q V A R T A.

Primum Punctum. Considera præter charitatem, ad perfectionem requiri etiam alias virtutes communes tam secularibus, qui etiam possunt esse perfecti, quàm Religiosis. *Perfectum enim est id, cui nihil desit ex rebus ei conuenientibus.* Ideo Apostolus 1. Corinth. 13. charitatem adiungit alias virtutes Christiano necessarias: *Charitas, inquit, patiens est, benigna est, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Vide ergo an in te sit charitas his, quæ commemorantur ab Apostolo, virtutibus stipata; si est, gratias Deo age; si non est, confundere; annota præcipuos defectus, & te emendare stude, ac charitatem Apostolicam assequi conare.

Secundum Punctum. Considera satis non esse ad perfectionem, habere omnes virtutes in qualicumque gradu, sed opus esse, ut omnes virtutes sint in gradu eccellente, & heroico, ut ob illarum eminentiam fiant, uti tales vocat Aristoteles *homines àuim*, quasi quidam dii, per participationem magnam virtutum diuinarum. Exempli gratiâ, tales, qualis fuit castitas in Ioseph sollicitato ad peccatum à suâ herâ: Susanna expetita à scelestis ludicibus: Obedientia Abrahæ filium vnicum sine tergiversatione mactare volentis Deo subente: patientia Iob in tot calamitatibus simul se opprimentibus: amor inimicorum in Dauide, qui eum non semel posset occidere vitæ suæ insidiantis: Saulem, pepercit ei, & posteros eius beneficis magnis affectit. Tu introspece te, an habeas in eâ excellè gradu, aliquam virtutem, & quantum tibi

tibi desit, agnosce; & excita te ad assequendas omnes virtutes in summo gradu: cum perfectior esse debeas quam omnes seculares.

Tertium Punctum. Considera media; per quæ homines pij assecuti sunt & assequuntur eximias virtutes, proportionem quâdam ad similitudinem eorum, qui assequuntur eximiam in scientiis practicis, vel speculatiuis eminentiam. Et vide an adhibeas talia media, & proficere stude.

Quartum Punctum. Considera impedimenta, quæ hæcenus fuerunt causa, quod non sis assecutus virtutes in gradu excelso; & ea amovere stude; & efficax propositum habere conare ad ea vehementissimè cauenda & amouenda.

QVINTA.

Primum Punctum. Considera primam tuæ perfectionis acquirendæ normam esse petendam ex eo, quod sis imago Dei, quæ si erit Deo suo prototypo quàm simillima, erit in nobis perfectio vitæ à Deo expetita, & à Societate nobis commendata. Porro ad hanc similitudinem habendam: *primò*, necessarium est, non habere vllas maculas, hæc enim scdant quamuis imaginem. Maculæ hæc, peccata sunt, ideo primus conatus ad perfectionem aspirantis, esse debet, vt quantum fieri potest, sit liber à peccatis, tum dando operam ne in ea labatur, tum vt præterita aboleat, quoad culpam, & quoad pœnam, modis in Ecclesia vtitatis. Quod quomodo facias, vide, & facito faciendi.

Secundum Punctum. Considera primum modum cauendi peccata esse debere, ne vnquam committantur, cum plenâ deliberatione. Hoc quantum opere necessarium sit, perpende, ponderando, quàm magnum sit scelus, & impudens audacia, velle plenâ deliberatione, & cognitione malitiæ ac forditatis peccati, Deum offedere, & sibi reddere iratum, à quo indicandus est, & puniri potest ob peccatum quoduis, & cuius tibi gratia adeo necessaria est ad omnia. Vide ergo quid tibi quoad hoc sit faciendum.

Tertium Punctum. Considera secundum modum cauendi peccata esse debere, ne vnquam etiam sine plenâ deliberatione committas vllum graue peccatum, etiam veniale, vti sunt mendacia, murmuraciones, detractiones. Si enim cauemus graues morbos corporis, multò magis graues morbi animæ cauendi sunt: quia sunt maiora mala, & curatu difficiliora; siquidem naturæ virtutibus, & humanâ arte non possunt curari, vti morbi corporis. Examina ergo te, quomodo te geras quoad hoc, & quod faciendum est, facito.

Quartum Punctum. Considera tertium modum cauendi peccata esse, non in multas

Lancicij Opus, Tom. 2.

species peccatorum labi, quod quàm æquum sit perpende, ponderando doctrinam S. Thomæ dicentis: *Peccata venialia per se disponere ad mortalia, eo modo, quo calor disponit ad ignem, & accidens ad formam substantialem.* Quomodò ergo te hac in parte geras, vide, & generosè te resolue, ad cauendas istas maculas, Dei imaginem valdè scdantes.

SEXTA.

Primum Punctum. Considera quartum modum cauendi maculas scdantes animam, & imaginem Dei esse, raro labi in peccata, & non contra multas species peccatorum. Tu an id obserues, vide, & perpenis causis, ob quas cauere debes frequentiam peccatorum, desse peccata, si in ea sæpe lapsus es, & in posterum tanquam à facie colubri fuge illa.

Secundum Punctum. Considera quintum modum vitandi maculas imaginem Dei scdantes, esse, si ne quidem raro, immò nunquam talia peccata venialia committantur, quæ spectatâ vel tuæ naturæ debilitate, vel prauorum habituum inclinatione, periculosa sunt valde, & faciem ad peccata mortalia lapsum adferre solent; vti sunt cogitationes impuræ, negligenter & languidè reiectæ, aspectus personarum formosarum non necessarius, lectio rerum non omnino pudicarum, & his similia. Quâ in re quomodo proceles, & quid tibi faciendum sit, delibera.

Tertium Punctum. Considera sextum modum fugiendi maculas imaginem Dei conspurcantes esse, si vitentur peccata omnia, in actionibus ad diuinum cultum spectantibus, tû priuatis, tum publicis. Quod quàm æquum sit, perpende, reuocatis in memoriam quorundam Ethnicorum, in superstitioso Idolorum cultu, miris reuerentiæ & attentionis exemplis, quibus tuam scordiam & negligentiam redargue, & te emenda.

Quartum Punctum. Considera septimum modum conseruandi mundam à maculis Dei imaginè, esse, peculiare studium vsu Examinis particularis vitia certa ita diminuere, vt quotannis saltè vnus penitus euellatur. Hoc an feceris, recogita, & in posterum facere stude.

SEPTIMA.

Primum Punctum. Considera ad perfectam similitudinem creatæ imaginis rationalis cû suo prototypo pertinere, vt sis ei similis in operationibus suis. *Primò* quidem, vt quemadmodum Deus nil operatur nisi ob finem supernaturalem, & quidem omnium perfectissimum, nimirum propter se ipsum, ita & is, qui ei vult esse similis imago, operari debet, omnia &

ſingula, vt etiam monet S. P. Ignatius Reg. 17. Summarij: *Omnes rectam intentionem habere debent &c.* Hoc an & quomodo exequaris vide, & Deo in hoc ſimilis eſſe conare. Certum autem ſignum eſt te purè propter Deum operari, ſi æquè libenter, æquè diligenter maneas, & facias faciendâ, quæ tibi ſunt à Superioribus præſcripta, in loco minus celebri, ac in celebri: coram perſonis pauculis & vilibus æquè, ac coram multis & ſpectantibus: ſi æquali affectu ſuſcipias officia vilia & abiecta hominum iudicio, atquè honorifica. Circa quæ examina te, & conforma te prototypo tuo qui æquè benefacit vilibus perſonis ac locis, ſicut præſtantibus & honoratis.

Secundum Punctum. Conſidera ad ſimilitudinem cum tuo prototypo, etiam hoc ſpectare, vt ſicut ille non tantùm propter te ſolum facit omnia, quæ facit, ſed etiam omittit & nõ facit; ita & omiſſiones tuæ non ſint aliæ quàm eæ, quas à te Deus, & Regulæ & recte rationis, vel Superiorum dictamen exigunt. Examina ergo omiſſiones tuas, an ſint huius generis, an fortè rerù debitariù, & prototypo tuo te conforma.

Tertium Punctum. Conſidera ſimilitudinem perfectam cum noſtro prototypo & hoc à nobis exigere, vt quemadmodum ille, omnia & ſingula quæ facit, non tantùm propter ſe facit, ſed etiam accommodatè ad finem cuiuſque rei & naturam, ita & tu, eâ quæ propter Deum te facere putas, facere debes accommodatè ad naturam & finem ſingularum rerum, ſeu actionum. Exempli gratiâ, ſi comedis vel bibis, non fatiſ eſt comedere vel bibere propter Deum, ſed opus eſt ita comedere & bibere, quantum requirit natura ſuſtentatio, & non plus, non ad delectationem, ſed ad vitæ ſuſtentationem. Sic de ſomno, ſic de aliis rebus, vt ſunt ſtudia, & aliæ quævis occupationes, vt obeantur eo modo, non plus nec minus, quo obiri debent, iuxta præſcriptum Regularum, & Superiorum, & rectæ rationis, non vitiatum ab amore proprio dictamen. Examina ergo tuas occupationes & actiones & functiones officiorum tuorum, an tales ſint, & emendanda emenda, quò ſis prototypo tuo quàm ſimillimus.

Quartum Punctum. Conſidera etiam in hoc debere te ſimilem eſſe Deo prototypo tuo operanti, vt quæadmodum ille faciendo aliquid, ſimul etiam aliis quæ eodem tempore facit, attendit, & propter nullam operationem ſuam, omittit alias, quas ex ſua beneficentiâ operari dignatur in bonum noſtrum, & ita omnibus operibus ſimul ſumptis, quouis inſtanti, vel morâ temporis attendit perfectè, ac ſi vni ſoli actioni vacaret, ita & tu, ſingulas actiones tuas, ſimili attentionis, diligentia ac perfectionis gradu exequi & facere debes. Quod an præſtes, vide, & tuo prototypo te conforma.

OCTAVA.

Primum Punctum. Conſidera materiâ ſermonum Chriſti, & cum eâ confer tuam. & vide quid ſit neceſſariù, vt tuo capiti te cõformes.

Secundum Punctum. Conſidera modum loquelæ Chriſti, quoad intentionem vel remiſſionem vocis, & ſoni, non ſine cauſâ enim S. Prophetæ de eo ſcripſit: *Non audietur in plateis vox tua.* Item cõſidera quàm celeriter vel tardè loqui ſolitus fuerit, qualibus verbis uſus ſit, vulgaribus ne an exquisitis, & non ordinariis, quali curſu vel artificio orationis, & his omnibus te conforma.

Tertium Punctum. Conſidera uſum manuum Chriſti in comedendo, laborando, geſtus edendo, & alia; & vide, an tu ſimili modo utaris manibus, & agnoſce, quomodo etiam hac in te Chriſto te conformare debeas, vt ſis proportionatum eius membrum.

Quartum Punctum. Conſidera uſum pedum Chriſti quoad inceſſum, & quoad alia, & Chriſto te conformare ſtude.

NONA.

De obſervatione Regularum.

Primum Punctum. Conſidera æquitatem omnium Regularum, quomodo votis exceptis, omnes ferè ſint eiſmodi, quas etiam ſeculares ſuo modo ſeruare debent; ſaltè titulo gratitudinis, ob multa beneficia à Chriſto Domino accepta, & titulo debitæ ſeruitutis, quia & illi ſuo modo debent Chriſtum Dacem, Dominum & Magiſtrum imitari. Vnde ſequitur, multo æquius eſſe, vt tu eas obſerues, quàm ad maiorem teneris perfectionem & vocatus es.

Secundum Punctum. Conſidera præſtantiam ſeu perfectionem Regularum omnium, quæ nimirum continent, quidquid veræ & ſolidæ perfectionis continent Regularum aliorum Ordinum, & quidquid perfectionis continent & commendat Sacra Scriptura, & vita Chriſti & Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum. Vnde magnâ opinione conceptâ de excellentiâ huius inſtituti, accendere Spiritu Apoſtolico ad deſiderium ardens omnes Regularum ſeruandi, propter guttum Domini Dei tui, & tuum bonum.

Tertium Punctum. Conſidera præcipuas Regularum, præſertim nonam, quâ iubemur eſſe contenti, vt defectus noſtri Superiori detegatur, & de odio rerum quas mundas amas, & amore crucis omnis, quæ refugit præſertim contemptum honoris, famæ, bonæ opinionis. Et decimam nonam, de ſeruandâ liberalitate ergâ Deum, & alias ſimiles. Et vide quomodo eas ſeruaueris hæctenus, & ſeruare debeas in poſterum.

Quartum Punctum. Conſidera cauſas quæ te impe-

impediabant hæcenus ne Regulas seruares. & earum indignitate ponderatâ, statue, inuocato Dei auxilio, efficacissimè eas vitare in posterum, vt ita des gustum Domino Deo tuo, & animæ tuæ consulas.

DECIMA.

Primum Punctum. Considera quomodo Christus se gesserit erga Discipulos & Apostolos suos in colloquiis, comestione, & conuersatione, & conuictu cum illis, & vide an tu eius membrum in his omnibus sis ei conformis in conuersatione cum domesticis, & te illi conformare stude.

Secundum Punctum. Considera modum, quæ Christus caput tuum tenuit cum Iudæis aduersariis doctrinæ suæ, & censoribus morum suorum: nimirum quoad sermones, & modum loquendi vel tacendi cum illis: quoad conuersationis rationem cum iisdem. Et collatis rebus similibus tuis, respectu Aduersariorum, quos tales esse scis, vel putas esse, vide, quid tibi desit ad hoc, vt sis Capiti tuo conformis.

Tertium Punctum. Considera modum quo Christus gessit se cum iis, quos & diuinâ & creatâ scientiâ, certè agnoscebat esse in statu peccati mortalis, vel sine illo, in statu magnæ tepiditatis, & frequentium lapsuum venialium. Ex alterâ parte vide, quomodo te geras, & interno affectu, & externo agendi modo, & loquendi cum iis, quos vides Deum grauitè, vel venialitè sæpè offendere. Et in omnibus Capiti tuo Christo, te conforma, vt sis proportionatum membrum eius.

Quartum Punctum. Considera modum quo Christus & te in templo, & pernoctans in oratione Dei, gerebat se erga Patrem cælestem in cogitando de eo, in amando eum, in orando eum, quoad materiam orationis, quoad modum & feruorem & situm orationis. Et agnitis ac defletis tuis disparibus moribus, statue, quâ in te te emendare debeas, vt sis dignum Christo capite membrum.

VND ECIMA.

De Renouatione templi Spiritualis.

Primum Punctum. Cum teste Apostolo 1. Corinth. 3. 16. 17. *Templum Dei sumus & Spiritus Dei habitat in nobis, & quidem templum Dei sanctum sumus*, hoc est, esse debeamus, immò non tantum ratione animæ nostræ & trium potentiarum eius, quæ sunt veluti tria sacella huius templi, sed ipsa quoque membra corporis nostri, *templum sint Spiritus sancti*, vt ait idem Apostolus 1. Cor. 6. 19. debemus animam nostram & membra corporis, si necesse sit, renouare, & talia reddere, quæ sint digna, vt in eis

cum suo gustu & consolatione habitet Spiritus S. Si enim habitationem in ædibus nostris Imperatori vel Regi præparare deberemus, illam aptaremus conuenienter tanto hospiti vel potius inquilino, quanto magis id faciendum est Spiritui S. quia non vt hospes, ad tempus modicum, sed perpetuò quantum est in ipso, vult manere nobiscum, & nunquam à nobis discedere, nisi eum domo nostrâ pellamus, quod esset summa ingratitude, impudentia & eius contemptus ac iniuria: extremis suppliciis digna. Resolue te ergo ad faciendam debitam præparationem & renouationem tui templi pro tanto inquilino.

Secundum Punctum. Prima conditio necessaria vt hoc templum auitiæ & corporis tui pro mansione in eo Spiritus S. est, vt sit perfecte mundatum ab omnibus sordibus. Sordes ædificiorum sunt duplices: quædam særentes, & hæc in templo Spirituali sunt peccata mortalia: alæ non særentes quidem, sed quæ valdè offendunt oculos honestorum hominum eò intrantium: hæc sordes sunt peccata venialia & transgressiones Regularum, maxime incurrentes in oculos aliorum cum quibus viuimus. Introspece ergo omnes parietes & angulos & panimenta huius tui templi Spiritualis, & trium Sacellorum eius, & vide, an reperiuntur tales in eo sordes, & si quas inueneris, eice bonâ confessione, bono dolore, & firmo proposito eas iterum non inferendi.

Tertium Punctum. Considera ad templum hoc necessarium esse, vt eius parietes, præsertim Altaria sint pulchris picturis, & quidem non prophanis, sed sacris & historiis Sanctorum pulchrè depictis ornata. Hoc erit in templo tuo, si & in anima tuâ & in corporis tui actionibus expressæ & veluti depictæ fuerint vitæ Sanctorum; si ita orēs, dormias, studeas, comedas, ambules, bibas, te recrees, denique cuncta facias, prout faciebant homines Sancti. Examina ergo omnes tuas actiones internas & externas, & si quid sit nouis coloribus renouandum ad imitationem prototypi Sanctorum, renoua, & maculas si quas inueneris in tuis antiquis picturis, ablue lacrymis vel saltem interno dolore, & bonâ confessione ac satisfactione, & seriâ in posterum emendatione.

Quartum Punctum. Considera tertio necessariam esse ad hoc Spiritus S. templum, vt habeat sufficientem saltem, si non copiosam suppellectilem pretiosam, non ligneam, nec ex vili aliquâ materiâ, candelabra, casulas, antependia, calices, & alia, sed propter tam excellentem inquilinum, Deum ipsum, debent esse omnia pretiosissima, proportionata tantæ Maiestati. Hoc denotat, debere in te non qualecunque actus virtutum reperiri, sed valdè heroicis, & perfectos, vt per eos efficiaris magnus Sanctus, vel certè vt loquitur Aristoteles.

les. *Homo diuinus*. Vide ergo an talis sis; si non es, dole, desite tuam socordiam, cum ad hoc habeas tot media diuina, tum auxilia eius gratiæ, tum tot habitus virtutum, tum tam frequentem usum Sacramentorum, tum lectionem librorum spiritalium, tum Meditationes quotidianas, tum alia, quæ singula per se sola possent te efficere Sanctum, & hominem diuinum. Detestare ergo tuam tepiditatem, & renoua meliorem in posterum viuendi modum.

In Colloquio desite tuam socordiam, gratias age Spiritui S. quod tanta eius Maiestas dignetur te inhabitare. Promitte illi renouationem huius templi, & pete gratiam, vt ipse te efficaciter adiuuet ad hoc iplum, citò, serio, & perseveranter præstandum.

D V O D E C I M A.

Consideratis præcipuis propositis præteritarum Meditationum deliberandum est, coram Sanctissima Trinitate vndique SS. Angelis circumdata & Sanctis Patronis de his rebus.

1. An debeam esse contentus, vt quotidie sine causâ affligat verbis & factis, à Superioribus & Inferioribus.
2. An evidentes calumnias in rebus granibus mihi illatas, & me valde infamantes, debeam æquo animo, sine vilo prorsus desiderio vindictæ tolerare.
3. An circa victum, vestitum, & cultum corporis & habitationem, debeam rebus vilissimis, & cum magnâ sensuum repugantiâ conjunctis, vti libenter, si ita Superiores permiserint, aut voluerint.
4. An debeam in omni loco, vt Ciuitate, Prouinciâ, Collegio, cubiculo, & cum omni tali persona, à quibus maximè mei sensus abhorrent & inclinatio animi, viuere totâ vitâ meâ, si ita placuerit Superioribus.
5. An sit aliquod tale Officium, aut vile, aut molestum in Societate, quod non debeam vsque ad mortem peragere, si ita Superioribus visum fuerit.
6. An debeam ita pro peccatis meis, & pro peccatis inferni quas merui, & pro beneficiis diuinis, quæ accepi, ita esse resignatus & paratus semper ad Dei, Superiorum, Fratrum, voluntatem exequendam efficaciter, vt omnia prorsus vellem facere & pati, nullâ re exceptâ præterquam si iuberet aliquod peccatum, ita, vt solum peccatum nihil aliud sit, quod totâ vitâ meâ nolim facere: & solum peccatum meum sit, de quo conqueri debeam, & nihil præterea aliud.
7. An debeam in omnibus procedere tam sanctè vt Christus & Sancti Dei processerunt, in suis cogitationibus, affectionibus sermonibus, omissionibus rerum non necessariarum vel noxiarum.

DECIMATERTIA.

Die Renouationis Votorum.

Primum Punctum. Considera tertiam normam acquirendæ perfectionis esse petendam ex eo, quod simus templum Spiritus S. non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus, vt ait Apostolus 1. Cor. 6. Cum autem templa sint ad solum Dei cultum, præsertim per Sacrificia instituta, & debeant esse sine vlla fœditate, immò & sine rebus profanis. Vide in quali templo hodie offeres Deo Votorum tuorum Sacrificia. An illud sit vel fuerit sine fœditate peccati, & sine defectibus profanis? Et quomodo nunc sit expurgatum bonâ confessione & lachrymis, & piis affectibus, tamen fuit antea non semel maculatum & profanatum. Vnde duos affectus excita in te. *Primo.* Magnus humilitatis & confusionis ob præteritas fœditates. *Secundo.* Magni erga Deum amoris, qui dignatur vota tua suscipere, à te oblata in vase purificato quidem, sed in quo fuerunt sordes, & spurcitia, & fœditates peccatorum, saltem venialium, quæ sunt sordidiora, & fœtidiora omnibus huius vitæ sordibus & spurciis, & fœditatibus; Cum tamen ne Rusticus quidem acceptaret à te pretiosum vinum, si illi propinaret ex vase mundato, quod antea adhibebas ad lotium, vel alias res sordidiores. Admirare ergo & obstupescere Dei dignationem, qui à nobis suscipit oblata sibi dona & Vota, ex fœdato rotis corpore & animâ nostrâ tot sordibus, & fœditatibus peccatorum saltem venialium, & accendere magno amore erga tam benignum Dominum, & hunc amorem ostende seriâ morum emendatione circa obseruationem Votorum.

Secundum Punctum. Considera Vota tua esse Sacrificium propitiatorium, seu placatorium Diuinæ Maiestatis toties à te offensa. Cum autem ad satisfaciendi effectum conducatur plurimum, immò potissimum pœnalitas, seu afflictio, & seruens deuotio, cum quæ opera fiunt ad colendum Deum, instituta, idèda operam, vt hodie offeras Deo tuo Vota tua cum maximo deuotionis seruire, præsertim, vt peccatorum oblationem, in gratiâ factam, liberis ab omnibus pœnis quæ debentur culpis tuis iam à Deo remissis: & deinceps ita vota tua obserua, vt per actus difficillimos, & heroicos Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ propius amor tuus & sensualitas sentiat afflictionem & pœnam, quæ tamen multis gradibus minor est eâ, quæ tuis etiam quoad culpâ remissis debetur, & in hac & in alterâ vitâ. Renoua ergo in memoriâ omnes occasiones & difficultates circa actus horum Votorum, quæ te antea ad peccata pertrahebant & turbabant & eas, ac
similes

similes deinceps fuge & noli eis cedere, sed vota obserua & ama tanquam dulciora super mel & fauum.

Tertium Punctum. Considera vota tua esse Sacrificium Eucharisticum, seu gratiarum actuum pro beneficiis diuinis. Acceperat enim magis Deus hæc vota, quam verbalem gratiarum actionem sine factis aliis. Cum autem in verâ gratiarum actione soleat includi iucunditas quædam & lætitia illius qui gratias agit, vt vota tua sint Sacrificium Eucharisticum, viue in statu & obseruatione eorum, cum animi iucunditate & lætitiâ, ob beneficium vocationis, per quod ad hæc vota emittenda peruenisti: & exclude omnes amaritudines ac gemitus, quibus tepidi, & superbi, & inquieti Religiosi, cõfici solent, dum iis non succedunt res iuxta eorum desiderium. Excludes autem omnes amaritudines, si penetraueris, quanto gaudio in hac vitâ remuneretur Deus Votorum obseruationem exactam in seruis suis perfectis, & quanta præmia largiatur in cœlis.

Quartum Punctum. Considera vota tua esse Sacrificium impetratorium. Vota enim exactè obseruantes ita Deus amat, vt etiam conferat in eos beneficia, quæ optant, antequam ea à Deo petant, & multo magis talium desideria, quam aliorum exaudit Deus. Cum autem necessarium sit ad orationem impetratoriam, vt fiat sine peccato, idè vt vota tua sint Sacrificium impetratorium, da operam, vt illa serues sine vllâ maculâ peccati & rugâ imperfectionis. Ita enim eris templum dignum Spiritu S. qui Ecclesiam suam vult esse, vt ait Apostolus ad Ephel. 5. *Sine macula, & ruga.*

Pro Obediãtia Collectione in fine Tertij Anni.

PRIMA.

Redde rationem Villicationis tuæ.

Primum Punctum. Considera quomodo te gesseris in tertio anno, cum domi, tum foris in ijs locis, in quibus fuisti, & quidem in primis circa res ad Dei cultum immediatum spectantes, scilicet Sacrificia Missæ, Meditationes quotidianas, Horas Canonicas, Examina Conscientiæ, Confessiones tuas & aliorum. In his autem omnibus accurate inquire. **Primo.** An in his rebus ad Deum colendum, placandum, & nobis ac toti Ecclesiæ Sanctæ Dei demerendum ab eo institutis, potius eum offendere & quidem deliberatè solitus fueris quam placare. **Secundò.** An hæc peregeris quoad alia requisita, eo modo, quo tenuisti esse peragenda. Nimirum an totum tempus præscriptum ad illa illis tribueris. An ea peregeris cum illo affectu & applicatione animi, quo

peragere solebas recreationes & permissas, & veritas, cum tuis sociis. Et iuxta ea, quæ in te inuenieris, elicias affectus, vel gratiarum actionis, si bene ea peregeris, vel doloris, humiliationis, & deprecationis si male.

Secundum Punctum. Considera causas, quæ te induxerunt ad supradicta malè transigenda. Et perpende an fuerint magis dignæ, quam infinita Dei Maiestas, vt propter illas Dei respectum non habueris, ita malè peragendo res ad Dei cultum institutas. Idè vehementer confundere; pete veniam à Deo & practicè statue quomodo debeas posthac compensare tuum malum modum agendi & viuendi.

Tertium Punctum. Considera quomodo te gesseris in conuersatione cum aliis circa materiam, & formam sermonum; item circa affectus internos, & vt in primo puncto, proportionatos affectus elicias.

Quartum Punctum. Considera motiua & diuina & humana quæ te adigunt, vt si Deo & Superioribus placere volueris, deinceps in his rebus te melius geras.

SECUNDA.

Primum Punctum. Considera finem tertij anni, qui est, vt fiat homo perfectus in vita Spirituali. Ord. cap. 3. pag. 39. num. 2.) hic perpende, quid sit esse perfectum in vita Spirituali, & an hoc sis assecutus, vide, & pios affectus deprime iuxta ea, quæ inuenieris siue perfectionem, siue imperfectionem redolentia.

Secundum Punctum. Considera finem Tertij Anni exigere plus, quam exigit à nobis finis Societatis omnibus præscriptus in Regula 2. Summ. Hic enim est (quoad nos ipsos attinet) saluti & perfectioni propriarum animarum cum Diuina gratia vacare. Hoc est conari ad consequendam salutem & perfectionem propriam. At finis Tertij anni requirit plus, id est, id quod status Episcopalis Religioso perfectior ab Episcopo exigit, nimirum vt sit perfectus. Vide ergo an in tertio anno hos duos fines attigeris, quod agnosces ex his. **Primo.** An perfectius nunc quam in Nouitiatu tuo te gesseris in occupationibus ad immediatum Dei cultum spectantibus. **Secundò.** An ita te nunc gesseris erga Superiores tuos internè & externè, sicut te gerebas in Nouitiatu. **Tertio.** An ita accuratus fueris in Regularum obseruatione in tertio anno sicut fuisti in Nouitiatu tunc, quando bene in Spiritu procedebas. **Quarto.** An conuersationes tuæ cum domesticis ita fuerint bonæ in tertio anno, consideratis omnibus, sicut solebant esse in Nouitiatu. Et iis quæ inuenieris in te, conformes affectus excita in te, vel gratiarum actionis, vel doloris & confusionis.

Tertium Punctum. Considera alteram partem

tem finis à Societate Patribus Tertij Anni præscriptam, scilicet, vt idoneum Societatis instrumentum ad animas Christo lucrificandas euadat. Ad quod quid necessarium sit, perpende, & vide an in Tertio Anno id sis assecutus, vel si antea habuisti requisita ad hoc, an in Tertio Anno ea auxeris, & vide, quid sit tibi deinceps quoad hoc faciendum.

Quartum Punctum. Considera motiua & diuina & humana, quæ habes ad procurandum ne ex Tertio Anno discedas non acquisito sine illius, & excita te iis vehementer saltem in hoc sine Tertij anni, ea procurandi, per actuum intentionem, & resolutiones efficaces, si forte hæcenus non es assecutus hunc Tertij anni finem.

T E R T I A.

Primum Punctum. Considera perfectionem quæ est finis Tertij Anni, in re, idem esse cum Sanctitate vitæ, qui enim in vitâ Spirituali est perfectus, etiam verè Sanctus est, imò Sanctus Sanctitate eximiâ. Perfectus enim in Ecclesiasticâ phrasi apud SS. Patres ille est, cui nihil deest spectans ad integritatem & plenitudinem Euangelicæ perfectionis in Præceptis & consiliis Euangelicis sitæ. Vide ergò quanto conatû & labore opus fuerit, vt ad hoc Dei beneficium pertingeres. An autem adhibueris, & adhuc adhibeas necessarium conatum ad attingendum huc virtutum apicem, qui ad perfectionem necessarius est, Examinate, & improbatis ac deploratis tuâ hac in parte socordia, & negligentia, vide quid deinceps tibi sit faciendum.

Secundum Punctum. Considera terminum à quo, perfectionis Euangelicæ, iuxta SS. Patrum doctrinam, esse, fugam omnem peccatorum, iuxta illud Psalm. 36. Declina à malo & fac bonum; quæ duo, sunt partes iustitiæ quasi integrales, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 79. art. 1. Porro cum perfecta peccatorum fuga requiratur quatuor. *Primo.* Ne vquam cum plenâ deliberatione admittantur. *Secundo.* Vt pauca committantur & raro. *Tertio.* Vt grauias & vitium perfectum valdè de decencia, vt sunt mendacia, actus gulæ manifesti, detractiones, murmuraciones, rixæ, contemptus aliorum, magna de nobis existimatio, conuersationes periculosa, & nimis libera, vt hæc & talia nunquam admittantur. *Quarto.* Vt commissa citò aboleantur ex anima modis in Ecclesia vsitatis, tum per Sacramentorû bonû vsu, tum per actus virtutum peccatis contrarios, præsertim pœnitentiæ, & amoris erga Deum, ac feruētis deuotionis. Vide an & quomodo, in his rebus hæcenus ostenderit fugam peccatorum perfectam.

Tertium Punctum. Considera causas internas, & externas, ob quas in te non enituit hæcenus

fuga perfecta peccatorum, quæ esse impedimenta spiritualis profectus (ac proinde etiam perfectionis quæ sine profectu virtutum non acquiritur) docet S. Thomas, & perpendas, quàm sint hæc causæ viles res, & indignæ vt eorum habeatur ratio à viro perfectionis studioso, quippe tam magnum bonum, vt est perfectio, & vitæ Sanctitas, impediētes. Resolue te ergo ad eas causas omnino efficaciter amouendas.

Quartum Punctum. Considera motiua non tantum diuina, sed etiam humana, quæ habes ad tollenda impedimenta perfectionis, considerando omnes hominum etiam mundanorum status, quomodo quilibet sine deliberatione quasi connaturaliter, & efficaciter, amolitur à se omnia impedimenta humanæ felicitatis, & occupationis, vt hinc discas, idem facere circa tam eximiam felicitatem, quæ est in vitæ perfectione & sanctitate, quæ est maxima huius vitæ possessio ipsius Dei intrinsicè in anima tanquam in dilectissimo domicilio suo habitantis.

Q V A R T A.

Primum Punctum. Considera præter fugam peccatorum ad perfectionem Euangelicam, requiri acquisitionem virtutum & quidem in gradu alto & heroico. Hinc in Nouitibus & vitæ Spiritualis tyronibus, ordinati loquendo, non reperitur perfectio acquisita, quia non perueniunt adhuc ad heroicis gradus habitum & virtutum. Reflexe te ergo, tum ad virtutes communes omnibus Christianis, vt sunt fides, spes, charitas, humilitas, patientia, tum ad proprias Religiosorum, vt sunt Paupertas, Castitas, Obedientia, Mortificatio præuarum affectionum, refrenatio passionum inordinatarum, an peruenieris ad altos in his virtutibus gradus: & prout in te inuenies statum tuum, tales affectus elicias, vel gratiarû actionis & laudis Dei, vel doloris & consubstantiationis.

Secundum Punctum. Considera ad perfectionem satis non esse habere acquisitos magnos gradus virtutum, sed opus esse operibus id declarare, ne sint otiosi. Discute itaque per omnes diei partes, quos in iis exercere actus heroicarum virtutum, saltem Deo soli notos, & si quid sit vel emendandum, vel perficiendum, statue.

Tertium Punctum. Considera perfectionem Euangelicam esse superiorem & excellentiorem, omnibus aliis Dei donis, quæ dat hominibus in hac vita & tanquam author naturæ & tanquam author gratiæ. Vnde sequitur, debere esse in creaturâ ratione præditâ, maius desiderium assequendæ perfectionis, quam sit assequendarum aliarum rerum, siue illæ sint officia, siue alia solatia humana & occupatio-

nes speciosas, ac loca proprio amori iucunda. Ex altera parte, vide an maiore affectu & studio procuraveris ad qui perfectionem, & eam desideraveris, quam alia humana solatia & felicitates. Et proportionatos affectus elicias ac proposita.

Quartum Punctum. Considera effectus formales perfectionis, quæ ubi est, reddit hominem Deo simillimum, Deo plenum, Deo carissimū, facit ut talis persona sit delicia Dei, summè iucundum habitaculum Dei, & pretiosissimum templum Divinitatis inhabitantis cum summo suo gustu in tali personā. Hæc ponderans, obstupescere, & tuam fortasse & aliorum multorum cecitatem, qui cum possint, non conantur esse perfecti, ut tales in oculis Dei, iudicio Dei eadant. Inculcata ergo tua stultitia & tuipsum neglecta, erige te ad generosas resolutiones, deinceps ea omni conatu pensandi & exercendi, quæ te perfectum & ad eodē felicem reddere queant, & disponant ad beatificam felicitatem, in altissimo gradu consequendam.

Q V I N T A.

Primum Punctum. Considera inter media ad assequendam perfectionem & finem Tertij Anni, primo loco à Societate prescriptam esse Patribus Tertij Anni, *plenam & absolutam sui ipsius abnegationem* c. 3. Ordin. Sacri num. 2. seu exercere se in plenā & absolutā sui ipsius abnegatione. Examina ergo te, an & quibus in rebus, & quo modo te in hoc exereueris. Et si quid est desendum vel emendandum, desle & emenda.

Secundum Punctum. Considera an perfectius studueris te abnegare in Tertio anno, quam feceris in Noviciatu, & quam soleant esse ferventes Novitij, quibus tamen tu teneris esse & melior & perfectior & ferventior in vitæ Religiosæ exercitiis, propter maiora quæ habes adminicula ad hoc, & obligationes. Quod si videris te Novitiis in hoc esse inferiorem, erubescere, cotam Deo, & veniam pete, & te emenda.

Tertium Punctum. Considera causas, ob quas non te applicasti in Tertio anno abnegationi tui, & agnosce eas etiam reliquo tempore vitæ, si durarint in te, fore tibi impedimento ad perfectionem. Resolue te ergo ad eas efficiendas, tanquam intestinum hostem & furem, tot thesaurorum, quos possideres, illum si domitæ non haberes.

Quartum Punctum. Considera sæcularium famulorum, & militum, & mercatorum, & aliorum innumeras & quotidianas abnegationes in quibus se exercent, tot incommoda tolerando, tantum ut assequantur finem suorum conatum & laborum, & quidem finem cum hac vitæ finiendum. Tu verò, credens æternam

felicitatem esse præparatam à Deo, pro abnegationibus tuis, cur non eundem, quem illi, adhibes conatum? Confundere famule Dei piæ, & miles Christi delicate & infidelis, qui non præstas ea pro Deo, & pro tanto bono quod tibi offertur, quod præstant filij huius sæculi, pro rebus quas prætendunt caducis. Quocirca quia adhuc tempus est messis, resolue te ad compensanda ea quæ omisitisti.

S E X T A.

Primum Punctum. Considera à Societate & ab ipso S. Ignatio, inter sex media particularia, ad assequendum finem Tertij anni requisita, primo loco positum esse, *profectum in humilitate* s. p. Const. c. 2. §. I. Vbi inquire, quas ob causas, id primo loco sit positum, & hinc pius aliquos decerpe fructus & proposita.

Secundum Punctum. Considera primum humilitatis gradum poni à B. Laurentio Iustiniano, eximie sanctitatis & nobilitatis ac doctrine viro, Patriarcha Aquileiensi, *agnoscere se contemptibilem esse & peccatorem peiorem aliis.* An autem hæc in te sit opinio, & an hæc in te his mensibus profeceris, & quantum profeceris, vide.

Tertium Punctum. Considera causas & rationes, quæ te tibi possunt & debent describere te tanquam contemptibilem & peiorem aliis & ex earum accuratâ ponderatione, tanquam talem te statue coram perspicacissimis oculis Dei quos nihil latet in nobis: & sæpius iteratis a se tuis talibus humilitatis, resolue te ad recumbendum in Domo Dei in novissimo loco, & ad fovendas totâ vitâ tuâ tales de te cogitationes, valde Deo acceptas, quia *humilia respicit in celo & in terra.*

Quartum Punctum. Considera quibus modis & in quibus occasioibus, & nunc, & post absolutum Tertium annum, totâ vitâ tuâ debeas factis ostendere, talem de te, ut dictum est, opinionem, & manum operi admoue.

S E P T I M A.

Primum Punctum. Considera secundum gradum humilitatis poni ab eodem Sancto, *peccata sua aliis, per Confessionis Sacramentum referre.* Quod S. Benedictus de Humilitate describens, faciendum ait coram suo Superiore. Hinc agnosce, quam necessarium sit ad profectum in humilitate, saltem in ratione conscientie Superioribus nostris, nostra graviora aperire peccata, & per hoc in iis Deum ipsum, cuius vices gerunt, honorare. Tu an hæc in te profeceris, vide, & proficere stude.

Secundum Punctum. Considera tertium humilitatis gradum ab eodem Sancto referri, *narrate alijs contra se, quod intus latet in corde.*

de. Huc spectant publicæ in Refectorio manifestationes defectuum commissorum, præsertim eorum, qui confusionem adferunt. Tu quomodò hac in re te gesseris, vide, & si non vis tuos alis propalare defectus, saltem æquo animo feras dum iniqui censores tibi eos affingent, aut alij veros Superiorem detegent, iuxta Regulam 8. & 9. Summarij.

Tertium Punctum. Considera quartum gradum humilitatis esse, desiderare, ut illud malum quod quis de se sentit, etiam ab aliis credatur. Hic inquirere motiva, quæ te excitare possunt ad amandum & querendum hunc gradum, præsertim bona opinio Dei de te ob hunc gradum, quæ anteponenda est omnibus sinistris de te aliorum iudiciis.

Quartum Punctum. Considera Christi Iesu humilitatem, quomodò ille dum in mundo viveret, libenti & hilari animo pertulerit sinistra & iniquissima iudicia, & quidem Principum populi Iudaici de se, idque tui causa, & nunc in cælo gloriosus à matore mundi parte, sit in opinione malâ, quia à pluribus non habetur pro vero Deo, quæ dignitas ei magis cõuenit, quàm vlla alia tibi. Exardece ergo desiderio exequenda Regulæ XI. Summ. ut pro Christi amore habeâre pro stulto & inepto ad omnia, tum in actu primo, tum in actu secundo, dum tuæ vel Conciones, vel Cathedris, vel lectiones in Scholis, vel conuersationes cum hominibus, vel aliæ occupationes à Cenforum linguis improbabuntur.

OCTAVA.

Primum Punctum. Considera quintum gradum humilitatis in eo situm, ut quis gaudeat de humilitate sui, de depressione, contemptu, & quavis persecutione, & abhorreat à rebus laudem, honorem & gloriam comparantibus. Hic perpende, motiva ob quæ conari debes ut ad hunc gradum pertingas: ea autem esse possunt. *Primo.* Exemplum Christi Ducis ac Domini tui, in quo hic gradus eminuit. *Secundo.* Exempla omnium Sanctorum insignium, præsertim S. P. N. Ignatij, qui talia omnibus mundi honoribus anteponebat. *Tertio.* Laudes, honor & gloria æterna in cælis præparata iis, qui hæc in terra pro Deo contemnunt.

Secundum Punctum. Considera quomodò post Tertium annum praticare debeas hunc gradum, circa officia futura & occupationes, circa gradus in Societate, circa loca habitationis, circa personas cum quibus conuersari & ad quas mitti debes. Et resolue te ad heroicæ actiones, & circa illas similia dictamina menti imprime.

Tertium Punctum. Considera mundi seruos, qui si scirent se posse consequi per centum annos, vel per 80. summos honores & dignitates

mundi, libentissimè per totidem annos & cum gaudio tolerarent omnes persecutiones & gauderent de illis, & fugerent contrarios fauores. Cum ergo multo maiores honores sint præparati in cælo pro iis qui hic gaudent de vilipensionibus omnimodis sui: vide quam sit indignum superari in hoc à filiis huius seculi, filios Incis.

Quartum Punctum. Considera statum Beatorum in cælo, quem sunt assecuti per hunc humilitatis gradum, quantopete gaudeant se per eum ambulasse ac peruenisse ad gloriam nunquam interituram. Et a nullo tuo affectu à temporalibus honoribus & fauoribus, Sanctorum affectui & dictaminibus te conforma, & relolue te ad totalem contemptum omnium rerum fauorabilium huius vitæ.

NONA.

Primum Punctum. Considera secundum medium à S. Patre propositum Patribus Tertij anni esse *Abnegationem vniuersi amoris sensualis*: qui nihil est aliud, quàm inordinatus amor, rerum, ad oblectationem inordinatam nostrorum quinque sensuum spectantium. Cum ergo & Scriptura & Sancti Patres, ac omnes vitæ Spiritualis Magistri doceant, per sensus nostros, hostem nostrum diabolum sua contra nos immittere tela, & sciamus eum esse nobis potentiorum & sapientiorum, necessariò sequitur, valde inuigilandum esse nostris sensibus, & custodiendum domesticum qui intra nos est, hostem, scilicet amorem istum sensuum, ne per hæc sensuum foramina inducat extrinsecos hostes nostros, & telis eius nobis perniciosis aditum præbeat. Quomodò autem custodiendus sit, vide, & quod faciendū est, facito.

Secundum Punctum. Considera quæ oblectamenta sensui visui tua antea nocuerint, & quæ etiam nunc arrideant, & desietis, si qui acciderint antea, lapsibus, vide quomodò in posterum similes cauere debeas.

Tertium Punctum. Considera oblectamenta gustus tui, quomodò amor sensualis in eis se olim oblectauerit, & an nunc etiam se in eis inordinatè occupet, & deploratis excessibus, statue quomodò te gerere debeas in posterum.

Quartum Punctum. Considera, reliquorum sensuum oblectamenta, an & quibus modis iis vsus sit inordinatus amor ad nocendum anime tuæ, & agnitis inde damnis, vide quomodò deinceps ea à corpore & animâ tuâ arcere debeas, & totaliter hunc sensualem amorem abnegare, ut verè ex vitâ tuâ exemplari, & Deus & Sancti, & homines cum quibus verberare te agnoscant esse mortificatum in rebus ad sensualitatem sensuum spectantibus.

DECIMA

DECIMA.

Primum Punctum. Considera, ad abnegationem vniuersi amoris sensualis, spectare etiam vsum afflictionum corporis, quas adferunt cilicia, disciplina, & alia mortificationes corporales: ab his enim abhorret amor sensualis. Quocirca, cum S.P.N. Ignatius velit, vt Patres Tertij anni abnegent vniuersum amorem sensualem, agnosce, etiam hac in re, debere te esse addictum, & affectu interno, & operibus externis occultis, pœnitentiis corporalibus. Quibus si non es addictus, erubescere, quia elegisti statum Religiosum (qui est status pœnitentiæ) & non ostendis Deo, effectus huius Status, & pœnitentiæ.

Secundum Punctum. Considera omnes Sanctos & Sanctas, etiam summâ vitæ innocentiam lucentes, etiam gratiæ baptismalis inuolatâ conseruatione eminentes, afflixisse valdè carnem suam, vt patet ex Vitis eorum impressis, præsertim S.P.N. Ignatij, qui etiam dum Generalis esset, in depressâ annis & laboribus, ac curis & afflictionibus ætate, ad eum se cædebat flagellis, & quidem in tergo, vt illud cruentaret. Vidi ego eius nigrum thoracem è tela factum (qui adhuc Romæ conseruatur) quem inducebat post disciplinas, vt in eo remaneret fluentia sanguinis, ne in indusio albo, vllum extaret signum, tergi disciplinis cruentati, & ne à vestiatio id agnosceretur colligente indusia pro lotionem. Eius secutus exemplum B Borgias, ita disciplinis cruentabat tergum, vt putresceret. Qui tamen viuens in sæculo, in delictis & opibus, Duce[m] habens Patrem, conseruauit suam illibatam Virginitatem, vsque ad statum matrimonij. Si ergo isti heroës in sanctitate, ad eum carnem suam afflixerunt extrinsecis pœnitentiis, vide quid tibi sit in hac in re faciendum, qui illis nequaquam es comparandus.

Tertium Punctum. Considera primum motuum quod habes ad affligendam durè tuam carnem. Hoc autem est, peccatorum tuorum multitudo, quæ meretur, vel inferni vel purgatorij pœnas. Cum ergo non scias infallibili scientia, tibi esse remissa peccata, saltem quoad pœnas purgatorij luendas, resolu te, ad affligendam tuam carnem eo modo (discretè tamen, & cum licentiâ tuorum Superiorum) vt hic, in hac vitâ, exolvas, quod deberes in vitâ alterâ pati pro peccatis tuis, etiam si essent tibi remissa quoad culpam.

Quartum Punctum. Considera secundum motuum, adhibendarum pœnitentiæ corporalium, esse impetrationem gratiarum, quibus indigemus, & pro nobis & pro alijs, tum viujs, tum mortuis, (quæ sunt innumeræ.) Cui ergo, (vt S. Ignatius scripsit in Decima additione ad Exercitia) pœnitentiæ, conducant

Sanctij Opusc. Tom. 2.

valdè ad impetranda ea quæ petimus à Deo, idè sis liberalis in affligendâ carne tuâ, discretè & cum licentiâ, vt impetres quam plurima pro te & pro alijs, &c.

VNDECIMA.

Primum Punctum. Considera, ad abnegationem amoris sensualis spectare, etiam abnegationem rerum extrinsecarum, corpori nostro adiacentium, vt sunt, indusia, thoraces & vestimenta omnia, & his similia. Nam amor sensualis etiam in his rebus est, & procurat tria. **Primo.** Vt sint quàm optima, hoc est vestes ex panno pretiosiore, Breuiaria, quæ sunt cariora. **Secundò.** Vt sint quàm plurima & superflua; plures libri, quàm sit opus etiam Sacri, vt breuiaria; aliud pro itinere aliud pro cubiculo; cinguli duplicati, & sic de vestimentis & alijs rebus. **Tertiò.** Vt necessaria quibus vti solemus, sint curiosè & pulchrè ad speciem facta: vt sunt thecæ pro dentiscalpijs, cultelli ex matreperla (vt vocant facti) crepidæ, non ex ordinario corio, sed ex korduban factæ, & sic de alijs inquire. Quæ, an deceant eum, qui debet esse vir, in vita Spirituali perfectus, considera sed eo modo, quò considerares hæc tria puncta, si nunc deberes ire ad iudicium Dei; & quod tibi Deus inspirauerit, hoc deinceps exequi stude.

Secundum Punctum. Considera ad abnegationem amoris sensualis spectare recreationes colloquiorum ordinariorum, quæ ex præscripto Regulæ debent quotidie adhiberi. In his autem recreationibus, amor sensualis nos præcipuè inducit ad quatuor. **Primo.** Vt simus partiales circa personas, hoc est, vt declinemus eas quæ loquuntur de rebus Spiritualibus, & quæ videntur non esse nobis addictæ, & quæ habentur pro magis obseruantibus Regulas. Et è contrario, vt eligamus pro nostrâ conuersatione personas de rebus Spiritualibus non loquentes, in conuersatione liberas & dissolutas, taxantes aliorum mores, Regulas passim violantes. **Secundò.** Amor sensualis in recreationibus, adducit nos ad colloquia clamosa, præsertim disputando, quod & à Sanctis & ab Ethnicis Philosophis moralibus valdè improbat. **Tertiò.** Idem amor sensualis, inducit nos ad nimiam in recreationibus lætitiâ, quæ se prodit, per risum non necessarium, sed maxime per cachinnos, & à Sanctis & ab Ethnicis damnatos. **Quartò.** Idem amor inducit nos, vt libentiùs loquamur de nouis sæculi, de aliorum moribus eos censurando, de Scholæ lectionibus, quàm de Deo, qui debet esse iudex horum sermonum, & verba etiam otiosa, nulli noxia trutinabit. Ideò resolu te ad abnegandum in his rebus amorè sensualè: & annota aliqua particularia, quæ in posterum vitare debeas.

FFF

Tet.

Tertium Punctum. Considera amorem sensualem inducere nos ad extraordinarias recreationes, tum quoad deambulationes extra Domicilium, tum quoad alia oblectamenta gulæ, per cibum & potum extra tempora consueta. Et vide an in te hoc vigeat, & emendanda emenda.

Quartum Punctum. Considera amorem sensualem inducere nos ad otium, & vt fugiamus ministeria quædam, vt sunt visitatio pauperum in nosocomio, in carceribus, & conductio damnatorum ad supplicia, & confessio rusticorum, pauperum, & reuocatis in memoriam Christi sententiis: *Pauperes Euangelizantur.* Et, *in carcere eram, & visitastis me.* Resolue te ad talis amoris abnegationem.

D V O D E C I M A.

Primum Punctum. Considera ad abnegationem amoris sæcularis pertinere, vt nimia de nostra sanitate sollicitudo abnegetur, quod fit: *Primo.* Si nihil sine Superiorum expressâ licentiâ quæramus, & adhibeamus ad nostri curationem. *Secundo.* Si in cibis non habeamus delectum ortum ex sensualitate, non verò ex necessitate. *Tertio.* Si non eligamus domicilia magis nobis commoda, sub prætextu mali aëris declinandis, &c. *Quarto.* Si cubicula non quæramus magis amena & magis amori proprio accepta. *Quinto.* Si non vtamur medicinis aut pretiosis aut verè nõ necessariis. Quomodo autem te in his rebus geras, examina te accuratè, & si quid sit emendandum emenda eo modo quo emendares, si moriturus esses.

Secundum Punctum. Considera ad abnegationem amoris sensualis spectare, vt abneges tuæ cellæ seu cubiculi fastidium, quod se prodit per frequentem egressum ex cubiculo ad res verè non necessarias prudenti iudicio & Dei & tuo, sed ad garritiones vel ad curiositates, vel ad deambulationes non necessarias & his similia. Qua in re considera quàm multa lucra pro vitâ æternâ æternum duratura congregares, manendo in cellâ tuâ, quæ perdis, vel potiùs non assequeris exeundo toties sine necessitate de cella. Quocirca his ponderatis, resolue te ad amorem cellæ & solitudinis domesticæ, vt assequaris illa merita, quæ colliguntur per Dei gratiam ab amatoribus cellæ.

Tertium Punctum. Considera abnegationem amoris sensualis hoc quoque postulare, vt abneges nimiam cum personis tuæ complexionis arridentibus conuersationem à tuo amore expetitam, non propter rationes æternas, sed propter temporales: vt sunt forma corporis, dinitæ, pulcher vestitus, officij quod gerunt eminentia, communio eiusdem patriæ & linguæ, propensio earum erga te, tui laudatione & veneratione demonstrata, & his similia.

Quâ in te pondera quòd vilius esset, pro tuâ beatificâ æternitate consequendâ, relictis his, conuersari cum pauperibus & aliis non speciosis, pro iis iuandis, & Deo quoque inde maior consolatio, gustus & gloria proueniret. Ideò resolue te ad quærendam in conuersatione maiorem Dei gloriam, & tuum spirituale lucrum potiùs, quàm ad quærenda humana solatiola.

Quartum Punctum. Considera ad perfectam abnegationem amoris sensualis necessarium esse vt abneges malâ temporis transactionem. Tempus enim huius vitæ est summum Dei beneficium, quia vt ait S. Bernard. serm. de triplici custod. datum est (nobis, ad agendam penitentiam, ad obrinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam. An autem circa hæc illud expendas, vide, & resolue te ad deferenda omnia illa, quæ ex instinctu amoris proprij antea faciebas, non vtilia ad agendam penitentiam, ad obtinendam veniam ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam.

D E C I M A T E R T I A.

Primum Punctum. Considera tertium medium, pro assequendo Tertij Anni sine assignatum esse à S. P. N. Ignatio, *Abnegationem propria voluntatis*, vbi considera necessitatem huius abnegationis, ortam partim ex voto obedientiæ per quod voluntatem nostram tradimus Superioribus, partim ex ipso statu Religioso, quem idè eligimus, vt in eo non nostram, sed Superiorum faciamus voluntatem.

Secundum Punctum. Considera damna & pericula, in quæ nos adducit, & te forte alias adduxit propria voluntas, & tantò magis procura eius abnegationem.

Tertium Punctum. Considera utilitates huius abnegationis, tum quoad Statum vitæ præsentis, tum quoad præmia futura, & tantò magis accendere ad quærendam hanc abnegationem.

Quartum Punctum. Considera quàm sit præclarum Sacrificium, & quàm sit Deo acceptum, hæc abnegatio, & quanta bona etiam in hac vita, gratiarum celestium sperare possit anima, quæ se ex Dei amore priuauit propriâ voluntate, & eam Domino consecrauit, manus quiddam, quàm fuerit in Abrahamo oblatio filij Isaac. Ideò gratulare tibi, quod Deus tibi potestatem fecerit, vt hac præclarâ oblatione, possis valdè mereri de Deo, & eum quodammodo obligare, vt tibi pro hoc dono copiosissimè benedicat.

D E C I M A Q V A R T A.

Primum Punctum. Considera. An nunc minus quàm in Nouiciatu sequaris propriam voluntatem tuam, tum in desiderijs rerum aliquarum, tum in procuracione earum. Quod

si inuenis te nunc magis uti voluntate tuâ quam in tyrocinio tuo, erubescere coram Deo, quod cum deberes esse etiam in hoc perfectior, tum ob plures annos in Religione transactos, tum ob Sacerdotij dignitatem, tum ob maiorem mediocritatem multitudinem per tot annos adhibitorum, factus es tamen deterior.

Secundum Punctum. Considera vias per quas devenisti ad hunc maiorem tuâ voluntatis amorem & usum, ponderatâ ac agnitâ earum peruersitate, eas deinceps declinare stude.

Tertium Punctum. Considera obiecta tuâ propriâ voluntatis, circa quâ illa se exerit, & pende in ijs pericula, & damna, quâ tibi possunt accedere, renuncia ijs pro Domino Deo tuo: & firmiter statue, ne quicquam deinceps ex te eligas.

Quartum Punctum. Considera Christi exempla, quomodo is pro te suam abnegavit voluntatem, non eligendo ea quâ multis nominibus ei debebantur, & innocentissimæ eius personæ conveniebant, sed prorsus contraria & sensibus iniucunda: & exemplis eius excita te ad rependendam ei hanc gratiam, plenâ tuâ voluntatis abnegatione, & eius faciendâ donatione.

DECIMAQUINTA.

Primum Punctum. Considera illa S. Antonij verba Epist. 2. ad Arsenoiat. Maligni Spiritus, cognoscunt se inter filios diaboli esse reputatos propterea, quod conantur vincique nostram, ingerere propriam voluntatem. Unde agnosces quantum sit exola Deo voluntas propria, & è contrario, quàm sit accepta abnegatio propriæ voluntatis.

Secundum Punctum. Considera verba Christi Domini dicta S. Brigit. l. 1. Rev. c. 25. *Via qua ducit ad amorem meum, est perfecta abiectio & abnegatio propriæ voluntatis, quando homo considerat Passione & Charitate meâ, non curat facere voluntatem suam, & resistit totis viribus, & conatur semper ad maiora.* Et infra, improbens servos propriæ voluntatis ait: *Hi ad tempus stant in servicio meo: nec relinquendo voluntate in propriam sed suam faciendo cû mea voluntate, periculose positi sunt: quia Augustus Dominus servare voluit, licet neutri bene servire possint.*

Tertium Punctum. Considera verba S. Fulgentij (in vitâ apud Surium tom. 1. Januar. primâ) Episcopi & Abbatis, qui illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatâ voluntatibus suis, parati essent, nihil velle vel nolle, sed Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare. Ideo resolve te hic, ita deinceps in Societate vivere, ut nil prorsus eligas vè detrectes, circa ea quâ Superiores disponunt ad te spectantia, sed Christi exemplo in omni tali occasione, factis potius quàm verbis dic: *Non mea sed tua volun-*

Lancicij Opusc. Tom. 2.

tas fiat: Ita facilius saluaberis, & res tibi succedent melius.

Quartum Punctum. Considera verba Abbatis Abraham apud Cassianum Coll. 24. cap. 26. ponderantis illa Christi verba: *Matt. 11. 12. Regnû cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Qui sunt, inquit, hi violenti Nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis, præclaram inferunt violentiam; quâ direptione laudabili, omni se presentium rerum voluptate fraudant, & voce Dominica, egregij direptores pronunciantur, & per eiusmodi rapinam, regnû cælorum violenter inuadunt. Isti sunt profectò laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra est, oblectatio vitæ præsentis: & vè expressius dicam, executio voluntatum desideriorum, nostrorum. Quocirca reflecte te ad tua desideria, siue antiqua siue noua, & vide quomodo, pro Domino Deo tuo, eorum abnegatione, in posterum violentè debeas rapere cælum.*

DECIMASEXTA.

Primum Punctum. Considera excellentiam eorum qui propriam voluntatem pro Deo abnegarunt expressam his Christi Domini verbis dictis cuidam servæ suæ, quâ refert S. Catharina Senen. in suis dialogis cap. 1. si inquit *peteres à me, qui sunt isti (qui suam abnegarunt voluntatem) tibi responderem: ipsi sunt, alter ego: quia sponte perdidit & abnegavit eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes & uniti, & in omnibus eâ induti. Quid ergo sperare non potest à Deo is, qui Dei testimonio appellatur, alter ego. Quocirca vide quàm firmiter semper debeas permanere fixus in perpetuâ tuæ voluntatis abnegatione.*

Secundum Punctum. Considera inter damna propriæ voluntatis esse etiam hæc quod S. Pachomius scriptum reliquit: in *Monitis tom. 4. Bibl. SS. PP. Qui suam perficit voluntatem, à diuinâ cognitione fraudabitur, nec poterit perficiendo propriam voluntatem, per viam Sanctorum incedere, & in nouissimo interitum & plantum inueniet.* Hoc verum esse omnes illi re ipsâ demonstrant, qui non perseverant in Societate, quia per executionem propriæ voluntatis, contra voluntatem Superiorum, ad hanc infelicitatem deveniunt. Ne ergo & tu eo devenias, assuesce non sequi tuam voluntatem. Nec putes te esse minus iis securiorem, cum habeas exempla, etiam magnorum Professorum, & Superiorum aliquando obitò clarorum, turpiter defecisse.

Tertium Punctum. Considera te esse Dei servum. Et cum Dei servus sis, qui maior est omnibus Monarchis mundi debes perfectius Deo servire, quàm seruiant famuli Regum Regibus suis vel aliis Dominis. Cum ergo nullus famulus est tam audax & impudens, qui eligat obsequia sua, quid facere vel non facere de-

ffff z

beat

beat; qui præscribat Domino, ut hoc non illud à se fieri iubeat: vide quantum magis te deceat nil eligere, nil detrectare, sed omnia illa exequi, quæ tibi Deus per Superiores suæ voluntatis interpretes iniungit.

Quartum Punctum. Considera illa Psalmi verba: *Ut iumentum factus sum apud te.* Et ex amore Dei, offer te D. Deo tuo, ut velis tractari deinceps instar iumentum, nõ eligendo stabulum, nõ pabulum, non onera vel personas portandas, sed sine resistentiâ id eo modo faciendo quo Dominus vel stabularius disponit. Et ne dubites, si pro Deo tuo fines te tanquam iumentum illius tractari, ingredieris sub fessore Christo & tu cælestem Hierusalem, sicut & ipse ingressus est, non suam, et si sanctam, sed Patris sui faciendo voluntatem.

DECIMASEPTIMA.

Primum Punctum. Considera quartum medium pro assequendo sine Tertii Anni præscriptum esse à S. P. Ignatio, & à Societate: *Abnegationem iudicij proprii*, quæ in eo sita est, ut quivis nostrum in ferendo iudicio de rebus, sit conformis iudicio suorum Superiorum circa dispositionem sui & aliarum rerum, ne in villâ te discreper à iudicio illorum. Tu an habendus talis fueris vide, & talis esse in posterum stude.

Secundum Punctum. Considera primum motuum subdendi totaliter iudicium tuum Superioris iudicio, esse Superioris munus, quod habet tanquam Vicarius Dei à Deo ipso sui loco tibi datus, ut te regat, & de te disponat pro libitu suo, & ut tibi sit interpret Diuinæ voluntatis, tantæ autoritatis & fidei, ut teneamur ei credere in rebus, quæ non sunt manifestum peccatum, & idem iudicare quod iudicat ille. Quocirca sicut Dei ipsius iudicio non subdere nostrum, scelus esset, ita suo modo scelus est Vicario Dei contradicere mente in rebus, quæ non sunt manifesta peccata.

Tertium Punctum. Considera secundum motuum conformandi iudicium tuum Superioris iudicio, esse frequentes deceptiones, quas in tui ipsius iudicio non semel advertisti, non tantum in rebus ad te, sed etiam ad alios spectantibus. Quocirca securius est eorum acquiescere iudicio, per quos nos gubernat Deus quam nostro.

Quartum Punctum. Considera cæteris paribus diuinam providentiam ordinatè gubernantem omnia, ex benignitate suâ teneri magis dirigere Superiores tuos, quippe Vicarios suos, quam te. Quocirca etiam ex hoc capite æquum est, Superiorum potius iudicium sequi, quam tuum, præsertim in causâ tuâ, quam amor proprius multus velat falsis involucris, ne appareat quod æquum est.

DECIMOCTAVA.

Primum Punctum. Considera quintum medium pro Tertij anni sine consequendo, esse præscriptum, *profectum in maiore Dei cognitione.* Hoc medium est ferè omnium maxime necessarium. Qui enim Deum perfectè cognosceret, facili negotio abnegaret omnia abneganda, fugeret omnia peccata & defectus, faceret omnia perfectissime quæ pro Deo sunt facienda. Ideò danda est opera, ut Deum intimè agnoscamus.

Secundum Punctum. Considera inter res cognoscendas de Deo & in Deo, esse cognoscendam imprimis infinitam Maiestatem eius, respectu cuius omnes Imperatorum & Regum Maiestates, sunt quid minus; quam vnum punctum Mathematicum respectu molis infinitæ. Ideò SS. Angeli in celo non audent aspicere faciem Dei, sed præreuerentiâ alis eam velantes describuntur ab Isaia. Ideò Christus et si Diuinitate par Deo Patri, in Humanitate tamen oratur, genibus flexis prostratus in terram, adorans summam illam potentiam, Sapientiam & bonitatem. Unde sequitur, debere te maiorem reuerentiam adhibere dum Deum oras, sine in Meditatione, siue in Horis Canonicis, siue in Missâ, siue in benedictione mensæ, siue aliâs, quam adhibeant famuli stantes in conspectu Papæ vel Imperatoris. Examina ergo te, an ita te geras, & aperi oculos ad cognoscendam Dei Maiestatem, & eius cognitionem viam factis præsentia.

Tertium Punctum. Considera secundo loco esse procurandam cognitionem viam Diuinæ immensitatis, omnibus rebus intimè præsentis, & omnia videntis perspicacissimè. Unde sequi debet, totalis fuga omnium peccatorum & rerum, quas non auderes cogitare & facere & loqui, præsentem saltem viro aliquo magnæ autoritatis, & Sancto scientie occulta coridum. Vide ergo, quomodo te deinceps debeas gerere, credens Deum esse tibi semper ad latus, semper ante oculos, semper in corde tuo & intra te.

Quartum Punctum. Considera tertio loco cognoscendum esse intimè Dei concursum ad omnia opera tua, sine quo ne digitum quidem posses mouere. Sicut ergo puerulus discès scribere, non auderet prædago manum eius mouenti, scribere vllum verbum iniuriolum, ita tu proportione quadam habens Dei manum ad omnia opera tua concurrentem pro libitu tuo, ita debes omnia, & cogitare, & loqui, & facere, ne quid à te proveniat iniuriolum Deo, hoc est, cum eius offensâ cõiunctum. Vide ergo quomodo deinceps operari debeas, & Dei concursu non abuti.

DECIMANONA.

Primum Punctum. Considera quarto loco procurandam esse cognitionem profundam Diuinæ puritatis, quæ nullam in se maculam aut naturalem, aut moralem habet, & ne habere quidem potest, nec potest vllum speculum ita esse purum ac nitidum, nullus adamas ita pellucidus, qui millesimum gradum repræsentet diuinæ puritatis. Cum ergo Deus ad eod purus sit intra nos per præsentiam, vt author naturæ immensus, & in iustis per gratiam vt amicus, cogita quàm mundum esse debet corpus tuum cum suis membris ac sensibus, & animam cum suis potentiis, habens intra se verè & realiter & substantialiter & intimè existentem, puritatem infinitam, manentem in te & intra te, tanquam in tabernaculo quodam. Circumspice ergo omnes angulos corporis & animæ tuæ, & si quæ sunt immunda & fœda, erubescere in præsentia tanti hospitis, eice & ablue quàm primum, & vide quàm munda debeas omnia deinceps conseruare in te.

Secundum Punctum. Considera quinto loco actus Diuinæ voluntatis, quos in te Deus manes habet erga te, & res tuas: nimitum, quid optet à te, quid vellet videre & habere in te, tum pro solatio suæ perpetuæ in te mansionis, tum pro bono tuo, non vult enim te esse patrem familias cum hospitio recipientem, viuere pauperè. Et quod conscientia tibi dictauerit, id acquirere quamprimum conare, tum pro solatio tanti hospitis, tum pro bono tuo.

Tertium Punctum. Considera sexto loco acquirendam esse maiorem cognitionem diuitiarum interiorum Dei, quæ infinitis partibus superat omnes diuitias creatas, & omnia bona quæcunq; possumus optare & sperare & percipere ab vlla creaturâ. Vnde sequitur, in omnibus tuis desideriis, conatibus, studiis, operibus, sermonibus te debere solū Deū spectare, & propter illum omnia facere, sine respectu ad vlllos humanos fauores, laudes & applausus præsertim cū superbiâ & vanitate aliqua coniunctos. Nam omnia meliora à Deo expectare debes, quàm ab vlla creaturâ, si propter solum Deum omnia facias. Reflecte ergo te ad tuos conatus, & si quid sit prauum in intentionibus operum tuorum refeca, & ea dirige recto itinere purè propter Deum ad solum Deum.

Quartum Punctum. Considera septimo loco comparandam tibi esse maiorem cognitionem Diuinæ Sanctitatis, quæ est infinitus fons, ex quo emanarunt & emanant omnia fluuenta gratiarum & virtutum, per quæ sanctificati sunt tot Sancti cum Beatissima Virgine Maria. Cum ergo sis imago Dei, & vt Sancti docent per solas virtutes similis fias tuo Prototylo, vide quàm magnam habere debeas plenitudinem virtutum, vt ei similis euadas. Considera ergo quid tibi desit; quomodo quæ desunt acqui-

tere debeas: & cum possis eius gratiæ beneficio esse ei simillimus, noli esse degener filius, & dissimilis Patri tuo.

VIGESIMA.

Primum Punctum. Considera octauo loco crescendum esse in cognitione diuinæ beatitudinis obiectiuæ, quàm clarè intoendo Sancti in cælo, eius visione beatificantur, & replentur summo bono iuxta mensuram meritatorum cum quibus excesserunt per mortem ex hac vita mortali. Cum autem beatitudo illa sit tam magna in Deo, & tam magnum bonum, eius visio & fructio quæ est in Sanctis cælestibus, & comparetur quouis opere supernaturali hominis iusti: vide quàm auarus esse debeas, in congregandis quotidie, si fieri posset, innumeris gradibus meritatorum, per innumera opera supernaturalia quotidie frequentando. Resolue te itaque ad insatiabilem esuriam & sitim perpetuorum & innumerabilium meritatorum.

Secundum Punctum. Considera nono loco debere te proficere in maiore cognitione diuinæ patientiæ, quæ facit, vt & tuâ & aliena peccata, per tot sæcula, tam multa & magna vides, dissimulet, taceat, non puniat, quin potius tot peccatores deinde conuertat, & repleat bonis admirandis naturæ & gratiæ & gloriæ. Hinc exardescere amore tantæ patientiæ, & resolue te ad toleranda eius exemplo omnia aduersa in hac vita, dissimulando, tacendo, & auctores causarum tuarum afflictionum amore ac beneficiis prosequendo.

Tertium Punctum. Considera decimo loco debere te crescere in maiore cognitione veracitatis Dei, qui in suis promissis & minis est infallibilis. Cum ergo minatus sit iudicium de omni verbo otioso, omnino abstinendum est à locutionibus inutilibus & otiosis: & cum promiserit exaudire orantem se strenuè & debitis modis, acquire spem maiorem obtinendarum ab eo rerum illarum, quas petis. Et ita pete, ne petendo malè potius irrites eum & prouoces ad infligendas pœnas, quàm moueas ad largienda beneficia.

Quartum Punctum. Considera denique Diuinam providentiam prout est prædestinans electos ad gloriam æternam, hoc est, ex voluntate efficaci saluandi electos, ordinans certam media, per quorum vsum præuidet eos saluos fore, disce hinc valdè cautè ambulare, & non perturbare eum ordinem quem circa media pro te destinata elegit diuina providentia te per Superiores tuos dirigens, & ordinans ad consequendam vitam æternam. Cum ergo non scias quæ media illa sint, per quæ Deus te præuidet solum fore, & ex altera parte certò scias, Superiores tuos esse tibi datos tanquam interpretes Diuinæ voluntatis, & habeas assècurationem ipsius Saluatoris & Redemptoris

ris nostri, qui dixit Luc. 10. *Qui vos audit me audit, &c.* vide ne vnquam trahas Superiores ad voluntatem tuam, ne vnquam recuses illa loca, vel officia, vel gradus, vel personas à Superioribus pro te destinatas: quia fieri potest, vt ea sint media per quæ Deus præuidit & non per alia te saluum fore: ne culpâ tuâ, media hæc declinando, excidas à via salutis.

VIGESIMA PRIMA.

Primum Punctum. Considera sextum medium pro fine Tertij anni assequendo esse datum à S. Ignatio & à Societate, *profectum in maiore Dei amore.* Quo in loco piè inquite cur S. Pater profectum in maiore Dei amore ponit tanquam medium ad perfectionem acquirendam, quæ est Tertij anni finis, cum principaliter in ipso Dei amore sita sit perfectio, vt Theologi docent. Causa videtur esse, quia perfectio præter amorem Dei, requirit etiam omnes alias virtutes, sed hæc comitantur amorem, quem S. Gregorius appellat *Matrem virtutum.* Quocirca si vis cognoscere, an profeceris in amore Dei, vide an profeceris in aliis virtutibus; præsertim in humilitate, quæ est primum fundamentum omnium virtutum post fidem, & in patientiâ, & in deuotione.

Secundum Punctum. Considera Amorem erga Deum, iudicio S. P. N. Ignatij, consistere in *mutua rerum omnium communicatione.* Vide ergo an tu, omnia tua, magis Deo communicaris hic manendo, quam extra tertium annum, præsertim, omnes temporis partes melius quam antea in rebus Deo acceptis expendendo, sermones tuos in recreatione, delineatione tuas circa te & tuum statum futurum in occupationibus, memoriam iniuriarum seu potius offensarum præteritarum, amorem commoditatum, desiderium graduum & officiorum speciosorum, conatum ad proficiendum in virtutibus, repugnantias & auersiones quas habuisti ante tertium annum vel à loco aliquo, vel à personis vel ab occupationibus aliquibus. Et si quid emendandum sit & nunc Deo donandum, resolute ad faciendam donationem rerum tuarum omnium, saltem nunc in hoc fine Tertij anni, duraturam & non reuocandam à te vnquam postea.

Tertium Punctum. Considera te debere in donatione rerum tuarum imitari modum, quo se tibi ex amore tui donauit Deus, qui vt ait Apostolus Rom. 8. 32. *Cum Christo omnia nobis donauit.* Nam donauit suam diuinitatem per incarnationem: Donauit humanitatem assumptam, iterum nouo modo dando se per modum cibi in Eucharistia, donauit iterum humanitatem tradendo eam post tot tormenta & miseria trucidandam in cruce per crucifixionem corporis innocentissimi; donauit iterum diuinitatem,

expectando te cum eâ in celo, futuram obiectum æternæ tuæ gloriæ & beatificæ vilitatis: donauit iterum suam humanitatem Diuinitati coniunctam, & gloriosam, vt suo tempore sit perpetuum obiectum gloriæ tui corporis post vniuersalē Resurrectionem. Tu vice versâ examina te, an tam plenè & tam efficaciter donaris Deo substantiam animæ & corporis tui, & vide quid tibi sit faciendum, vt ostendas factis te hic profecisse in maiore Dei amore.

Quartum Punctum. Considera præter substantiam Diuinitatis & humanitatis, tibi à Deo & Christo in quantum homine, esse etiam alias res donatas, sunt autem hæc: *Primo.* Perpetua & nunquam cessans, & quidem ab æterno durans Dei de te actualis cogitatio, *secundò.* Perpetuus amor & æternus Dei erga te, qui est causa quod te à se creatum conseruet in esse tuo, & tibi perpetuò varia beneficia præstet naturæ semper, gratiæ etiam sæpè. *Tertio.* Gubernatio tui & naturalis & supernaturalis perpetua, tum extrinseca per causas secundas varias, dirigens te ad finem supernaturalem, præseruans & liberans te à multis malis, tum intrinsecè excitans te auxiliis gratiæ ad multa bona, & auertendo à multis malis.

Tu vide, an Deo sic te etiam per suas res & actiones immanentes amanti, corresponderis nunc magis in Tertio anno, vt agnoscas an amantem tui redamando, magis profeceris in maiore eius amore.

VIGESIMA SECUNDA.

Primum Punctum. Considera Deum non contentum donatione suæ substantiæ tibi factâ, & suarum actionum internarum & externarum adhuc alias res ad assumptâ & hypostaticè sibi vnitam humanitatem necessariò spectantes, immò plenissimo iure debitas Diuinæ suæ Personæ Incarnatæ, tibi donasse, propter te privando se illis, idq; in beneficium tuum & exemplum. *Primo* enim priuauit se impassibilitate corporis sui, idq; miraculosè, nam naturaliter ei illa debebatur, & ratione vnionis hypostaticæ & ratione visionis claræ Dei, quam anima Christi habuit in suo corpore ab instanti suæ productionis. Ita Deus per miraculum fecit corpus suum passibile, vt pro te per 34. annos tam multa pateretur. Tu vide an ita corpus tuum Deo donaueris, vide an in Tertio anno plura pro eo sis passus, & postea pati velis semper, in vestitu, victu, cubatione, laboribus, iniurijs aëris, pœnitentijs corporalibus, & alijs que Christus est passus. Et hinc agnosces an profeceris in maiore Dei amore, & quâ ratione deinde post Tertium Annum debeas factis declarare hunc maiorem Dei amorem.

Secundum Punctum. Considera secundam

rem, qua se Christus in carne pro te priuauit & tibi donauit, esse mansionem extra caelestem regiam in hac valle miseriarum per 34. annos. Nam corpori eius debebatur etiam locus caeli statim ab instanti in quo incarnatus est, & positus beatificâ visione, quâ statim erat facta eius anima perfectissimè beata. Tu vide an profeceris circa desideria & resolutiones factas quoad habitandum in locis incommodis, vilibus, amori proprio ingratas: & agnosce quid tibi circa hoc sit faciendum, vt ostendas Deo te verè profecisse in amore eius, rerum tuarum communicatio.

Tertium Punctum. Considera tertiam rem quam Christus donauit, suscipiendo ex amore tui perpetuam mansionem per nouem Menses in vtero Materno, et si purissimo; tamen in naturalibus humoribus & sanguine humano se demergens, & hunc carcerem sponte eligens procul dubio molestissimum, quia erat ratione praeditus perfectissimâ. Vnde meritò hanc charitatem eius Ecclesia ponderans ait: *Non horruit Virginis vterum:* Tu examina te, quàm sis cellè addictus & silentio, habens cellam, & semper totâ vitâ toâ habiturus sine vllâ comparatione commodiorem, & non ita molestam, vt erat vterus Virgineus. Vide ergo, quomodo in amore cellæ & silentij quod illa confert, debeas ostendere maiorem tuum erga Christum amorem.

Quartum Punctum. Considera quartam rem quam tibi ex amore tui donauit Deus in carne, gloriam scilicet & honorem, qui ei ab omnibus creaturis rationalibus debebatur, & tanquam Creatori, & tanquam Redemptori, quo tamen caruit, & is qui ei exhibitus est, fuit à pauculis valde, & cum tot imperfectionibus. Deinde per 18. annos à 12. ætatis lauit inglorius, à nullo agnitus, vsque ad tempus suæ prædicationis & baptismi. Tu examina te an profeceris in ardenti desiderio latendi, & viuendi sine vllò honore, & an a me nesciri. Et excita in te ardens desiderium pro amore D. Dei tui viuendi, sine notitiâ & gloriâ apud homines, & latendi in aliquo angulo vilissimi Domicilij nostri, sine vllâ speciosâ occupatione, & sine promotione ad altiora, & in obliuionè apud omnes, præsertim Superiores & alios à quibus promoueri posses. Et hanc voluntatem constanter conseruandam offer D. Deo tuo, & sæperenoua quouis die: quia est magnum sacrificium & valdè acceptum D. Deo tuo.

VIGESIMATERTIA.

Primum Punctum. Considera quintam rem tibi à D. Deo amatore tui, ex tali amore donatam, nimirum exiguam gratiam quam habuit apud Domesticos cum quibus perpetuò vixit ferè per 30. annos, in eadem domo, & a

pud suos cognatos ex parte Mariæ & Ioseph, qui in quadam occasione Mar. 3. 21. *Exierunt tenere Christum D. dicebant enim, quoniam in furorem versus est:* hoc est, factus stultus & insanus, vel, vt exponit Theophylactus, *obsessus est ab aliquo diabolo.* Tu considera an creueris in desiderio malæ aliorum opinionis de te. Et resolue te ad seruandam Regulam XI. Summarj, vt libenter habeatis pro stulto &c. Et tunc verè ostendes profectum in maiore erga Deum amore.

Secundum Punctum. Considera sextam rem tibi donatam à Christo ex amore tui, scilicet, adhesionem Discipulorum. Nam quamuis visus eius miraculis & auditâ sanctissima doctrinâ eius, multi Discipuli eum amarint, eique adhererint, tamen postea deseruerunt eum solû, idque tum cogitatione, tum verbo, tum opere. Cogitatione quidem, quia quando maximè esse debebant Christo grati eius Discipuli, ob promissam Eucharistiam per sui corporis traditionem faciendam non credebant ei: *Sunt inquit quidam ex vobis qui non credunt.* Ioan. 6. 65. Deinde verbo eum deseruerunt, quia Ioan. 6. 61. 62. *multi ex Discipulis eius dixerunt, durus est hic sermo, & murmurauerunt.* Tandem opere, quia Ioan. 6. 67. *Multi Discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* Tu vide an ita pro Deo velis carere tuis patronis & adherentibus tibi, & resolue te in hoc puncto, quomodo debeas ostendere profectum in amore erga Deum, nec quærendo patronos & adherentes, nec agrè ferendo si deseraris ab omnibus.

Tertium Punctum. Considera septimam rem quam tibi D. Deus tuus ex tui amore donauit, priuans se necessariâ defensione & consolatione, tunc quando maximè illi erat necessaria biduo ante mortem. *Omnes enim Discipuli relicto eo fugerunt.* Matth. 26. 56. Petrus verò quem destinauerat pro suo Vicario, *ter eum negauit, adhibito etiam iuramento.* Iudas verò eum vendidit. Hinc disce, non agrè ferre, si dum opus est humano auxilio, nullus tibi succurrat, præsertim ex iis qui possent & deberent, tui aliquando amici & tuis beneficiis obligati. Quomodo autem hac in parte sis dispositus, vide, & factis ostende, te in amore Dei profecisse, omnem tui defensionem D. Deo tuo donando.

Quartum Punctum. Considera octauam rem tibi à Christo D. donatam, esse opinionem de doctrinâ suâ, quæ traducebatur à primoribus populi Dei, tanquam Deo iniuriosa & legi Moylis contraria, idque & priuatim & publice. Tu introspice te, an profeceris in desiderio & amore vilis de tuâ doctrinâ opinionis, an sentis quòd studia non profeceris, vel, si profecisti, quod non docueris ea quæ didicisti, & quod alij te iuniores & tuo iudicio inferiores, promoti sint ad docendum: & quod tibi testi-

statur vel contradicatur, dum aliquid asseris doctrinam redolens. Et vide quomodo te deinceps in Collegiis gerere debeas in materia doctrinæ.

VIGESIMA QUARTA.

Primum Punctum. Considera nonam rem quæ tibi Christus donauit ex tui amore, splendorem natalium. Nam ut Deus, Patrem habuit Regem Regum & Dominum dominantium ut homo, natus est ex Regiâ familiâ Daid, tamen habebatur pro filio fabri, & sic appellabatur ab extraneis, & ab ipsa Matre: *Ecce Pater tuus & Mater tua, cum dolore querebamus te.* Tu vide quantum profeceris in hoc puncto, & an minùs nunc erubescas natales tuos, si plebeius es, & si nobilis, an sis paratus magis quàm antea, haberi pro rustico & mendico. Et hinc agnosces, quomodo te gerere debeas in hoc puncto.

Secundum Punctum. Considera rem decimam tibi à Christo ex tui dilectione donatam, commendationem sobrietatis & temperantiæ in cibo ac potu. Voluit enim eâ carere propter tuam superbiam. Ideo de eo dicebatur: *Ecce homo vorax & potator vini.* Matt. 11. 19. Tu vide tria in hoc puncto, an non verè conueniat tibi hoc, quod falsò adscribebatur Christo tuo. *Secundò.* An saltem minùs quàm antea lapsus sis in temperantiâ & sobrietate. *Tertiò.* Quomodo te deinceps gerere post tertium annum debeas, ad ostendendum Deo, te profecisse in amore eius quoad hoc, donando ei, hoc est, renunciando pro eius amore vitii galæ.

Tertium Punctum. Considera vndecimam rē à tui amante Christo tibi donatam, conuersationis integritatem. Quamuis enim semper sanctissimè conuersatus fuerit quoad se, & quærens utilitatem spiritualem eorum cum quibus conuersabatur, tamen malè quoad hoc audiebat à magnis viris. Ideo dicebant de eo: *Cum peccatoribus manducat Magister vester: Et, est amicus publicanorum & peccatorum;* quasi dicerent. *Simili simili gaudet. Talis est, quales sunt ij cum quibus conuersatur.* Tu vide an conuersatio tua sit cum aliis ad iuandos eos, an potius ad dādam eis occasionem (etsi à te directè non intentam) peccandi, otiosis & contentiosis sermonibus. Et an conceperis desiderium, ut & de te sit mala apud alios opinio, tanquam malè conuersante & domi & foris.

Quartum Punctum. Considera duodecimum Christi donum, quo te affecit, priuando se opinione de miraculosis Dei donis, eò quòd miracula ab eo facta arti diabolicæ, non eius potestati attribuerentur, quasi in *Beelzebub principis demoniarum demonia eiceret.* Hæc quàm grauis iniuria fuerit spectatâ Domini & diuinitate & humanitate, & cum eâ confer omnes quas po-

tes in hac vitâ pati accusationes & calumnias, & resoluere te ad tolerandas omnes ex Dei amore patienter & libenter & cum exultatione. Sic enim ostendes, tenere te Deum tuum amare, vero & solido amore, qui in rebus difficultibus & amori proprio iniucundis solidè demonstratur.

VIGESIMA QVINTA.

Primum Punctum. Considera tertium annum à S.P.N. Ignatio vocari *Scholam afflictus* s.p. Const. c. 2. §. 1. quæ verba præbent tibi materiam perpendendi conditiones scholæ, quantum *Prima* est, ut in eâ studeatur diligenter: quâ in re, in primis vide, an eâ diligentia in tertio anno attenderis ad eius occupationes proprias, quâ attendebas olim scholas frequentando, dum te parares ad repetendam lectionem vel ad defensionem thesium vel ad oppugnationem. Deinde cum occupationes Tertij anni sint ex se præstantiores lectionibus Scholasticis, multò diligentius adhuc debebas illis attendere, quàm attenderis olim illis. Quod si non fecisti, dole, humilia te coram Deo, veniam pete & gratiam, ut Deus auxilium suæ gratiæ in te id suppleat, quod tibi deest, & quod non acquisiisti in hac scholâ affectus, & certò acquisiisses, si saltem eam diligentiam quam in scholis prophanis adhibebas in hæc adhibuisses.

Secundum Punctum. Considera secundam conditionem scholæ esse, ut quis præter studium diligens, in eâ notabiliter proficiat, & se profecisse agnoscat in fine saltem anni. Tu examina te, an, & quâ in re, & quantum profeceris, præsertim in his, *Primò.* In diminutione peccatorum deliberatè committi antea solutorum. *Secundò.* In faciendis meliùs hoc est, diligentius ac feruentius rebus ordinariis, præsertim ad immediatum Dei cultum spectantibus. *Tertiò.* In ferendis patienter rebus aduersis. Quocirca si in his profecisti, Deo age gratias; sin lecus, confundere, dole, veniam pete &c.

Tertium Punctum. Considera tertiam conditionem huius scholæ in hoc sitam, ut non tantum studendo diligenter profeceris, sed profectum hunc & in studendo diligentiam ostenderis aliquibus actibus insignibus & notabilibus, tuam diligentiam ac profectum, ut in scholis ostendi solet, per bonas defensiones vel oppugnationes thesium. Hoc, proportione quâdam faciunt ij, qui in Tertio anno actus heroicos mortificationis & confusionis sui, & contemptus honorum, & respectum in aliquibus rebus valdè amorem proprium deprimuntibus, ediderunt. Hoc an feceris vide; si fecisti, gaude; age Deo gratias, nam experire Dei remunerationem. Si non fecisti, saltem in hoc sine aliquid pro Deo facias, qui certum tibi

ipsum propter te & sustinuit mortem, vt ait Apostolus, confusione contempra.

Quartum Punctum. Considera quartam conditionem scholæ id exigere, vt præmissis tribus rebus supradictis, scholaris mereatur promoueri ad scholam vel gradum aut locum altiore & honorificentiore. Ad hoc peruenitur in Tertio anno, per excellentiam & eminentiam quandam profectus, saltem in virtute aliqua insigni, vt est, contemptus sui, & rerum honorificarum, patientia in aduersis, intus excludens perturbationem animi, extra verò, silentio omnes querelas & excusationes repellente decorata: & deuotio accurata & ardens in operibus pietatis. Hoc an sis affectus vide, & si quid adhuc deest, conare vt assequaris.

VIGESIMASEXTA.

Primum Punctum. Considera primum gradū huius scholæ & veluti classem, esse Spirituale alphabetum. Cuius primam litteram S. Bonauentura scripsit esse: *Amānesiri & pro nihilo reputari.* Hoc an didiceris in hac scholā, vide, & prout in te inuenieris profectum vel defectum, actus proportionatos ede, vel humiliationis, vel gratiarum actionis.

Secundum Punctum. Considera secundum huius scholæ gradum & classem esse, legendi peritiam, quæ in hac scholā affectus demonstratur in lectione librorum. Vide ergo quorum librorum lectione te occupaueris hætenus, an curiosorum, an spiritualium; & ex spiritualibus, an utiliorū. Et agnosces hinc, quā benè in hac scholā studueris, & quomodò in posterum legere libros debeas, spectato tum statu tuo Religioso, tum functionibus Sacerdotalibus, quæ exigunt magnam peritiam casuum conscientia, & talium librorum lectionem, quæ tibi materiam suppeditet, & ad pia cum secularibus colloquia, & ad exhortationes, & ad bona consilia in confessione & extra eam aliis danda.

Tertium Punctum. Considera tertium gradum seu classem huius scholæ esse sitam in bona constructione, quæ in partibus Grammaticæ addiscitur. Hoc in schola affectus apparet, dum quis ira loquitur & domi & foris, quoad materiam sermonum, & quoad modum loquendi à vanitate, à scurrilitate, à leuitate, & secularitate, ac contentione alienum. Quomodò ergo hac in re te gessisti, pondera, & status apud te, quomodò deinceps in hac te procedete semper debeas, & domi cum domesticis, & foris cum externis.

Quartum Punctum. Considera quartum gradum & classem huius scholæ exigere eruditionem multiplicem, præsertim historicam, philosophicam & Theologicam, hæc enim omnia ad complementum docti scholastici

requiruntur. In hac autem scholā affectus hoc acquiritur, accuratā lectione librorum, Sanctorum vitas, præsertim Confessorum, continentium, & historias societatis. Item aliorum qui tradunt cognitionem practicam rerum spiritualium circa modum orandi, circa praxes virtutum, circa cognitionem Diuinarum perfectionum imitandarum. An autem his in rebus in Tertio anno te occupaueris, & profeceris, vide, & quid deinceps facere debeas, tecum statue.

VIGESIMASEPTIMA.

Primum Punctum. Considera scholasticos diligentes, contentos non esse rebus supradictis, sed dare operam, vt in scholā potiantur loco honoratiore. Locus honoratior in scholā Christi est, multitudo meritorum per frequentiam bonorum operum accumulatorum, magis quā ab aliis factum sit. Tu vide, an plus cæteris laboraueris, & te mortificaueris, & feruentior vixeris, & plura opera bona feceris: & hinc agnosces, an iudicio Dei dignus sis loco altiore in scholā eius.

Secundum Punctum. Considera bonos scholares, vt loco potiantur altiore, illi potissimum incumbere studio, ob quod sciunt à Magistro, suos promoueri socios ad locum altiore. Idè faciunt feruentes Christi scholares, edocti à Christo Magistro qui dixit: *Recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit, qui te inuiauit, dicat tibi: Amice ascende superius.* Hoc an feceris in tertio anno, recogita, examinando cogitationes tuas & affectus, & verba, quæ proferebas, dum aliquid accideret, quod tui contemptum præferret. Et agnosces an functus sis officio boni in Christi scholā scholaris. Et vt talis sis, adnitere.

Tertium Punctum. Considera magnam cæcitatē multorum, qui plures faciunt, & se plures facere ostendunt locum altiore iudicio hominum, quā eum, qui est altior iudicio Dei. Idè enim officia speciosa expetunt, gradus honoratiore, applausum hominum, quā his contraria, quæ si accidant, contristantur. Cum tamen iudicio Dei, & totius Curia cælestis, plures fiant ea, quæ mundus refugit & detestatur, vt sunt falsæ accusationes, iniuriæ, contemptus, reprehensiones, degradationes, & his similia, quæ amor proprius refugit. Resolue ergo te, ad honorandum etiam hac te Deum, vt sectando ea quæ illi maximè placent, ostendas te plures facere iudicium Dei, quā hominum.

Quartum Punctum. Considera scholā Christi, non carere gradibus & quidem melioribus, quā soleant in scholis mundi inueniri, dum doctores Discipuli ad Magisteria & Doctoratus promouentur. Gradus in schola Christi, suat,

sunt, Cathedra altissimæ in cælo, ad quas euehantur, qui hic melius se gesserunt in schola Christi. Sic S. Francisco data fuit illa ipsa cathedra, ob eius vitæ sanctimoniam, præsertim ob humilitatem, ex qua superbus Lucifer fuit deiectus ad barathrum inferni. Exardesce ergo, desiderio Cathedra altissimæ in cælo, vt Deo proximè assideas non alium ob finem, quàm vt tantò magis ibi Deum colas & ames, & in te ostendas copiosum fructum meritorum Christi Magistri, & doctrinæ eius efficaciam. Ad quod quid necessarium sit, vide, & adhibere stude.

VIGESIMA OCTAVA.

Primum Punctum. Considera (occasione Diæti S. P. N. Ignatij, qui tertium annum appellauit *Scholam affectus*: volens vt in ea acquirerentur boni affectus, vel antea acquisiti augerentur & corroborarentur). primam rem, erga quam affectus in Tertio anno acquiri debuit, esse, Diuinam Maiestatem, quæ cum sit infinitæ perfectionis obiectum, summè amabile & naturaliter & supernaturaliter, voluntas nostrâ debet erga eum ferri, tanquam erga summum bonum suum, & naturale & supernaturale. Quocirca introspecte tuum statum internum, an tua voluntas, magis per affectus suos feratur erga Deum & res diuinas, quàm erga temporales; scilicet erga commoditates corporis, erga officia speciosa, erga conuersationes cum hominibus: & prout agnoueris tuum statum, tales actus elicias, vel doloris & confusiois, vel gratiarum actionis, & propositi; deinceps Deum tractandi, vt meretur.

Secundum Punctum. Considera, Diuinam Maiestatem, quamuis (per impossibile) non esset talis qualis in se est, tamen ob ea quæ præstitit, & præstat, tum aliis creaturis, tum tibi, meretur, vt maiorem erga eam, & in corde habeas, & in verbis ac operibus ostendas affectum, quàm vnquam ostenderis erga tuos parentes, erga Consanguineos, erga amicos. Examina ergo te, an hæctenus, saltem in hoc tertio anno, ita tractaris Deum, vt solebas olim tuos Patentes, & nunc amicos & Socios. Hoc autè agnosces ex his signis.

Primo. An ita procuraris non offendere Deum, omnia tua spectantem, sicut cætebas ne quid diceres & faceres, spectantibus tuis parentibus, quod putabas eis valdè displiciturum.

Secundò. An cum tali affectu fueris solitus ire ad orationem, quæ est colloquium cum Deo, eum quali solitus eras, & es, ire ad colloquendum, cum bono amico tuo, & tempore recreationis (quando licet colloqui) & alio tempore vitæ. Et ex his considerationibus, proficere stude.

Tertium Punctum. Considera omnes cogita-

tionès internas tuas, & voluntatis affectus, circa quid versetur frequentius & diutius, & cum maiore applicatione mentis, & cum maiore gustu, & cum minore tædio, an circa Deum & res diuinas, an circa alia. Et hinc agnosces, an profeceris in hac scholâ affectus, in affectu erga Deum. Et quid, in hoc statu tibi sit faciendum, delibera, & apud te coram Deo propone exequendum.

Quartum Punctum. Considera motiua, & naturalia & supernaturalia, quæ abundè habes, & per te ipsum, cum diuino auxilio agnosces, ad habendum magis affectum erga Deum & res ad eius cultum spectantes, quàm ad alia, quæ vel displicent, vel non æquè placent Deo. Et et horum consideratione, excita te, ad mutandam vitam in melius, & ad compendandos præteritos tuos defectus.

VIGESIMANONA.

Primum Punctum. Considera secundam rem, erga quam post Deum debet tuus ferri affectus, esse S. Ecclesiam, sponfam Dei, & matrem tuam. Hic affectus erga hanc matrem tuam apparet, si exqueris ea, quæ illa tibi præscripsit, & omnibus aliis filiis suis, & eodem modo, quo vult sua præcepta ab omnibus filiis suis mandari executioni. Vide ergo in primis, an eo modo Horas Canonicas recites, quo mater tua vult à te recitari, quoad tempus, quoad attentionem, quoad locum, in quo eas recitas, quoad situm, quoad festinationem vel tarditatem scrupulosam ei iniitiam. Et agnosces, an in tertio anno profeceris in hoc, vel defeceris, & proficere stude.

Secundum Punctum. Considera aliud tuæ matris præceptum, circa ieiunia Ecclesiastica, an ea in tertio anno benè seruaueris in vespertina collatione, & si quid sit deplorandum, & confessioni subiiciendum, deplora & subice, & firmiter statue, quomodo debeas deinceps, hac in re tuæ sanctissimæ Matrî obedire.

Tertium Punctum. Considera tertiam rem, erga quam tuus debet ferri affectus, esse Superiores tuos immedios & medios, & examina te, an erga illos habueris in tertio anno talem affectum, qualis esse debuit erga Vicarios Dei & tuos Patres. Et quod conscientia dictauerit, hoc apud te statue, & circa præterita & circa futura.

Quartum Punctum. Considera quartam rem, erga quam debet versari tuus bonus affectus, esse Fratres tuos cum quibus versaris. Et cum sint Fratres tui, & fraternitas Spiritualis, vt docent S. Augustinus & S. Ambrosius, præstantior carnali, maiore affectu debes prosequi tuos in Religione Fratres, quàm solent carnales fratres suos confratres. An vero saltem eo affectu prosequaris tuos Religiosos fratres

fratres quo illos, examina te, reuocando in memoriam, quomodo boni & honesti fratres carnales, se prosequantur, & secum agant. Et agnosces, an in tertio anno quoad hoc profeceris, & quid tibi sit deinceps faciendum.

VIGESIMA NONA.

Primum Punctum. Considera quintam rem erga quam debuisti acquirere affectum in tertia probatione, esse personas Spirituales, hoc est eas, quæ videntur fugere violationem partuarum Regularum: eas quæ libentius loquuntur de rebus spiritualibus, quam de prophanis: eas, quæ sunt exteriorius magis composite & modestæ: eas, quæ habentur à discipulis, pro scrupulosis. An autem acquisueris affectum maiorem erga tales, quam habueris antea, examina te, & statue, quid hac in re, tibi sit in posterum faciendum.

Secundum Punctum. Considera sextam rem erga quam debuisti acquirere affectum in tertio anno, esse libros Spirituales, tractantes spiritualia, & excitantes affectum ad pietatem potius, quam cutiosum pascum intellectus. Quocirca an quoad hoc punctum in tertio anno profeceris, vide, & quid te facere hac in parte oporteat, agnosce, ut saltem postea compenses id quod tibi tuâ culpâ defuit quoad hoc in tertio anno.

Tertium Punctum. Considera septimam rem, ad quam in tertio anno debet acquiri vel augeri affectus, esse, Colloquia spiritualia. Cum enim S. P. Ignatius velit suos in tertio anno euadere in *vita spirituali perfectos*, procul dubio debent affici rebus & colloquiis spiritualibus: nam ex abundantia cordis os loquitur. Quocirca si ex ore nostro, Spirituales sermones non procedunt, Christi iudicio, cor non est spirituale; nec ille homo Spirituales. Vide ergo quid tibi deinceps faciendum sit, ut hinc egressus, vitas etiam quoad tuos sermones, tanquam vit Spirituales.

Quartum Punctum. Considera octauam rem ad quam affectus in tertio anno, maior acquiri debuit, esse finem nostræ Societatis, qui est, *procuratio imperis nostræ & alienæ salutis ac perfectionis*, suscepta ex pura intentione diuini obsequij, per media in Societate visitata. An autem hac in te profeceris, vide, & quomodo te deinceps quoad hæc gerere debeas, libera: præsertim cum ad complementum finis in tertio anno propositi sit, ut per Tertij anni exercitationes homo euadat idoneum instrumentum, ad animas Christo lucrificandas.

TRIGESIMA.

Primum Punctum. Considera. An si modo tibi moriendum esset, hoc est, immediate post

hanc meditationem, putares te bene peregrisse tertium annum, & fructum Spirituale in eo acquisitum, æquiuale re sumpti Societatis pro te per hos Menses, hoc in loco, facto. Et prout tibi conscientia tua, Deo nota, & te hoc examinantem, introspectenti, dictauerit, tales affectus elicias, vel gratiarum actionis, & diuinæ laudis, vel doloris & confusionis.

Secundum Punctum. Considera, si Superiores esses, amans obseruationis, & boni communis Societatis, an si à te alter Superior maior exigeret iudicium tuum de aliquo, qui ita vixisset in tertio anno, ut tu vixisti, an inquam, iudicares, eum bene peregrisse tertium annum, hoc est, ea esse affectum, ob quæ Societas habet tertium annum: & ex hac consideratione proficere stude.

Tertium Punctum. Considera, te postquam hinc discesseris, habituros multos oculos consideraturos tuum procedendi modum. Et domum etiam humana iudicia, parui facienda non sint, sed illis etiam utendum ad vitæ nostræ informationem, vide quæ tibi fugienda sint, quæ facienda, ut ex pura Dei dilectione, non ob vanitatis desiderium, ita te geras, ut prouideas bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut loquitur Apostolus.

Quartum Punctum. Considera. Quid S. Angelus custos sentiat de vitâ tuâ in hoc tertio anno transactâ, tum in cubiculo tuo, quando eras solus, tum de colloquiis tuis institutis cum aliis Patribus tertij anni, tum de colloquiis domi habitis cum veteranis, seu iis qui non fuerunt tui in tertio anno socij, tum de modo agendi, & loquendi, & viuendi cum secularibus tempore Missionum, & ex singulis considerationibus decerpe seria & efficacia proposita, conductura ad hoc, ut postea viuas, iuxta finem tertij anni, *tanquam vir in vita spirituali perfectus, & idoneum Societatis instrumentum, ad animas Christo lucrificandas.*

TRIGESIMA PRIMA.

Primum Punctum. Considera, reuocatis in memoriam præcipuis Dei inspirationibus quas habuisti tum alio tempore, tum in hac octiduanâ Collectione, & propositis bonis quæ fecisti, quomodo deinceps te gerere debeas, erga Deum, erga Sanctos, erga alios homines, & erga teipsum, in vtu interno memoris, intellectus & voluntatis, & firmo animi decreto statue, quæ fugere debeas, & quæ facere.

Secundum Punctum. Considera simili modo præcipuas Dei inspirationes & bona proposita circa usum externum oculorum, aurium, & linguæ, & propone firmiter, quæ deinceps in his vitare & facere debeas.

Tertium Punctum. Reuoca in memoriam præcipuos tuos defectus in tertio anno admissos, ventiam

veniam pete à Deo, & à Sanctis, praesertim ab Angelo tuo custode, & statue aliquid, quod sit loco satisfactionis, pro iis, à te exequentibus.

Quartum Punctum. Gratias age Deo tuo, pro omnibus beneficiis, quae in te contulit, in hoc tertio anno, reuocando praecipua in memoriam, & ora Deum, & Sanctos eius, ut tibi det gratiam efficacem, fugiendi ea quae fugere decreuisti, & exequenti bona, quae exequi proposuisti.

De SS. Eucharistia.

Primum Punctum. Considera. Quis accipit SS. Eucharistiam: Reus, Seruus, Cliens, filius, Ager.

Secundum Punctum. Considera. Quid: Iudicem, Dominum, Benefactorem, Patrem, Medicum.

Tertium Punctum. Considera. Ad quid, sen cur? Ut impetret condonationem offensarum: ut ei debeat bene seruire; ut maiora beneficia percipiat, & pro perceptis gratum se ostendat: ut se gerat tanquam bonus filius: ut obtineat sanationem ab his & ab illis infirmitatibus Spiritualibus, uti ager.

Quartum Punctum. Considera. Quomodo? Gratis accipit, per modum cibi, ergo ut ad cibum capiendum eamus cum desiderio, ut cum gustu eum percipiamus, & ut referamus illos effectus Spirituales, quos cibus praestat corpori.

De non curandis sinistris hominum opinionibus de nobis.

Primum Punctum. Considera virtutem humilitatis hoc exigere & ad hoc impellere homines, ut cupiant se stultos, imperfectos, malos existimari; & cum humilitas sit fundamentum omnium virtutum, ut dicunt Sancti, si tu vis esse virtutibus praeditus, hoc desiderare debes.

Secundum Punctum. Considera omnes Sanctos eximios optasse, ut pro pessimis & ineptis ad omnia haberentur. Si ergo vis esse Sanctus, eadem via progredere.

Tertium Punctum. Considera Christum innocentissimum, & ad omnia (etiam quoad humanitatem aptissimum) fuisse propter te, in pessima opinione apud omnes primores populi, Principes Sacerdotum & seniores populi, Scribas quoque ac Phariseos. Cum autem sis eius seruus, & velis haberi pro eius seruo, non debes melius in hac vita tractari, quam fuerit tractatus Dominus tuus. Resolue ergo te, ad desiderandam malam opinionem hominum de te, hoc est, de tua virtute, de tuis talentis naturalibus, & omnibus aliis rebus ad te spectantibus, ut sis quam simillimus Domino tuo.

Quartum Punctum. Considera duo. *Primum.* Si est verum desiderium huius rei, debere te (quia hoc non est peccatum) etiam procurare quantum est in te, (salua Regula XI.) ut sis in mala opinione aliorum. Adhibe ergo media licita, cum licentia tuorum Moderatorum, ut hoc assequaris. *Secundum.* Cum hoc debeas facere, non propter homines, sed propter Deum, summam illam & infinitam Maiestatem, non debes ponere illos limites huic desiderio, & procuratori executionis huius desiderij, sed quodam modo infinite te humiliare & mortificare in procuranda mala opinione de te. Resolue te ergo ad aliquos actus heroicis pure propter Deum infinitum.

MODVS FACILIS MEDITANDI.

Pro secularibus personis, praesertim Procuratoribus & in Magistratu aliquo positis.

1. Post prelecta & mentem bene impressa Ponenda meditanda, vel de mysterijs vite Christi Domini vel de nouissimis, vel de beneficiis Diuinis, instante hora Meditationis, aspergat se aqua benedicta, & facto signo S. Crucis, deuote genua flectat, in loco, in quo meditaturus est, adorando SS. Trinitatem, non tantum in caelo, sed etiam in illo ipso loco (vbi nos fides Catholica docet) intumescere & verè praesentem, & te ac tuam meditationem spectantem; & in vitione meritorum Christi Domini, offeras SS. Trinitati ad eius laudem & gloriam, facendam meditationem, & totum te ipsum, petasque gratiam ab ea necessariam pro bene faciendâ illâ meditatione.

2. Tunc autem bene fiet meditatio, quando in illa, vel agnosces aliquam veritatem vilem animae tuae, vel senties te excitatum ad amorem alicuius virtutis, vel ad fugam alicuius vitij, aut imperfectionis: etiam si tunc non senties in te ullam consolationem sensibilem: Immo quamuis senties in te aliquas tentationes contrarias alicui virtuti, dummodo illis non praebes assensum, & coneris quantum potes eas repellere.

3. Si non potes genibus flexis meditari, mediteris, stando vel sedendo, modeste tamen & reuerenter eo modo, quo sederes loquens cum Rege si es infirmus, iussus ab eo sedere. Quod si senties te melius ambulando meditaturum, potes etiam ambulando lenè meditari, dummodo id facias, in loco separato ab hominibus peruo.

4. Per Meditationem hic nil aliud intelligitur, quam consideratio seria & lenta, seu ponderatio Punctorum Meditationis eo sine intentione, ut per eam moueatur nostra voluntas, ad

amorem alicuius virtutis vel ad odium, & fugam alicuius peccati, vel defectus: seu ad morum in te aliqua emendationem, & vitam melius instituendam: seu, vt per pijs considerationes excitetur in te pius aliquis affectus, vel doloris de peccatis, vel desiderij meliorandæ vitæ, vel amoris erga Deum, vel alius similis.

5. Quoniam verò voluntas nostra non mouetur ad aliquid oprandum, vel fugiendum, nisi præcedat cognitio rei optandæ vel vitandæ, idè pijs considerationes adhibentur, circa res desiderandas & fugiendas: & quò melius res cognoscuntur, eò magis voluntas mouetur: idè sine festinatione mentis, res lentè & profundè ponderandæ sunt, pijs considerationibus, vt per eas excitetur voluntas ad amorem boni, & odium ac fugam mali alicuius in particulari. Nam sat non erit in genere excitare in se desiderium boni & odium mali, sed ad particulares actus bonos desiderandos & postea exequendos, ac ad particulares defectus vitandos excitanda est voluntas, quia ni ita fiat, bona proposita citò euanescent.

6. Porro in collectione annuâ quibus ea est in vsu, harum rerum, comparanda est intima & profunda cognitio & valde viua.

Primò. Diuinæ Maiestatis, cui omnes homines seruire suo modo (quisque suo in statu) debent. Ex cuius cognitione duo effectus sequi solent. Timor, & amor eius. Timor in eo situs est, ne offendatur deliberatè vilo peccato. Amor verò, vt faciamus omnia, quæ vult à nobis fieri: iuxta illud: *Qui diligit me, mandata mea seruat.*

Secundò. Procuranda est cognitio magna grauitatis & sceleritatis cuiusvis peccati, quæ tanta est, vt non liceat ioco mentiri, etiamsi quis sciret per commissum tale mendacium, totum mundum saluum fore.

Tertiò. Procuranda est cognitio grauitatis penarum purgatorij, ex quâ sequitur, vt homines rarò peccent & pro peccatis commissis adhibeant in hac vitâ multa opera satisfactoria.

Quartò. Procuranda est cognitio magnitudinis & præstantiæ gloriæ caelestis, quam præparauit Deus seruantibus eius mandata, & ei fideliter seruientibus.

Hinc oritur ardens desiderium coniunctum cum executione, quàm plurima bona opera faciendi, & mala tolerandi: Per hæc enim acquiruntur magna præmia in celo.

Quintò. Procuranda est cognitio multiplicis & perpetuæ beneficentiæ Dei, nos quodam modo suis beneficiis obruentis, tum communibus, tum personalibus.

Hinc oritur maior erga Deum amor quàm soleat esse in nobis erga homines nobis bene-

Lancij Opusc. Tom. 2.

facientes, quorum beneficia in nos collata nec tot, nec tanta sunt, vt sunt Diuina.

Sextò. Procuranda est maior cognitio nostri, quæ sita est in tribus. *Primò.* In cognitione nostræ promptitudinis ad peccandum. *Secundò.* Impotentia ad faciendum vllum opus supernaturale & naturale arduum, sine auxilio gratiæ Dei. *Tertiò.* Ignorantia multiplicis circa vitanda, & faciendâ, & corrigenda, quæ malè vel non perfectè facimus: ex quo sequitur, vt vitemus occasiones peccati, scientes nos esse faciles ad peccandum; vt nos humiliemus coram Deo, videntes nostram infirmitatem & debilitatem ad bona faciendâ; & vt petamus semper diuinum lumen, quod nos dirigat in omnibus, & doceat, quid & quomodo vitare, & facere, & corrigere debeamus. Harum rerum cognitio acquiritur tempore Collectionis, tum lectione piorum librorum, tum per examina conscientia profundiora, tum in meditationibus, tum per colloquia cum Patre Spirituali, tum assiduâ inuocatione Diuinæ Maiestatis, quæ dat bonum spiritum petentibus se, tum maxime per Regulas electionis applicandas emendationi seu reformationi circa vitæ statum, pòstas in fine secundæ hebdomadæ exercitorum S. P. Ignatij.

De fine Collectionis Magnatum.

Primus finis esse debet. Introspicere conscientiam propriam an sit in ea aliquid, cum quo nolles mori sine confessione, si hic & nunc tibi moriendum esset. Examina ergo te nunc eo modo, quo id faceres, si decumberes, paulò post moriturus, desperatus à Medicis. Et, si inuenieris per hoc sincerum examen, aliquam rem, siue peccatum, siue obligationem restituendi aliquid alteri, siue aliquid aliud, vel confessione Sacramentali vel restitutione, aut alio modo expiandum, expia, & satisfac Deo, vel proximo, sine dilatione; si nihil inuenies graue, Deo gratias age, & sic deinceps vive.

Secundus finis esse debet huius Collectionis. Examinare diligenter præsentem statum tuum, tum quoad personam tuam, tum quoad officium publicum, si aliquid geris in Republicâ, tum quoad conuersationem tuam cum hac vel illa personâ, tum quoad gubernationem tuæ familiæ & huius similia; an experiaris te in officio tuo, vel conuersatione, vel aliquâ aliâ re habere proximam occasionem te inducentem ad aliquod peccatum mortale. Et, si eam inuenieris, cogita de motiuis per quæ possis te resoluerè efficaciter, ad vitandam quàm primum & fugiendam deinceps omnem talem occasionem. Inter motiua verò hoc quoque potest esse à Christo Domino datum:

Gggg

Quid

Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiat. Nam si illustres & Nobiles viri malunt pati iacturam honorum quàm famam; & quàm pati publicum dedecus in conspectu Imperatoris vel Regis, multò magis ij, qui saluari volunt, debent omnia illa relinquere salutis aeternae obstacula, per quæ experti sunt (& multò magis, si sæpè experiuntur) se ad peccatum aliquod mortale, certum salutis aeternae periculum adferens, deuolutos esse, vel deuolui solere, vel ad periculum prolabendi in illud adduci. Quocirca resolue te ad citò amouenda deinceps à te, omnia impedimenta vitæ, & salutis aeternae, si quæ habes. Si nulla habes, Deo gratias age, & perge in bonâ vitâ.

Tertius finis huius Collectionis esse debet. Inquire, an hæcenus ita vixeris, vt, si nunc tibi moriendum esset, libenter moreris, & non times valdè mo i, ac te iudicio Dei terribili præsentare. Cùm enim salus tua aeterna, magis dependeat à bona morte, quàm ab alia re, danda tibi est opera, vt benè & quietè moriatis. Quocirca etiam si vixisses antea sine peccato mortali, vide, quæ sint illa in te, ob quæ non libenter, nec cum lætitiâ moreris nunc, si iam tibi moriendum esset, & ea amouere stude quamprimùm, vel ita accomodare, vt possis esse semper paratus, ad benè & hilariter moriendum, quandoquidem ex puncto, & bono statu mortis, tua pendet aeternitas.

Quartus finis huius Collectionis debet esse, felix tuus status post mortem, nimirum; vt vel nullas, vel valdè exiguas pœnas in purgatorio patiaris. Cùm enim pœnæ purgatorij, vt docent SS. Patres cum S. Thoma, & patet ex certis Historiis Ecclesiasticis, sint acerbiores, quàm omnia tormenta quæ passi sunt Martyres, & quàm omnia supplicia, quibus affecti sunt homines scelestissimi, magna esset stultitia tua, non curare (si possis cum Diuino auxilio) euadere Purgatorij pœnas, siquidem, etiam per iacturam bonorum omnium tuorum temporalium, libenter euaderes combustionem tui in foro publico, vel si certò scires te promeritum esse suspendium per manum Carnificis, & crederes te tali morte multandum ob aliquod tuum facinus commissum contra Imperatorem, vel Regem. Nam pœnæ purgatorij multò sunt grauiores, & animæ ad eas post mortem à iusto Iudice Deo destinatae, magis ob sua peccata & illas pœnas confunduntur, quàm soleant scelesti confundi per manus carnificis mactandi. Perpende hoc diligenter, & resolue te, ad dandam operam, vt omninò euadas Purgatorij pœnas. Postea verò alio tempore cogitabis de modis eas euadendi, dummodò nunc viuaciter apprehendas, summè tibi esse neces-

sarium, ne pœnas illas post mortem patiaris, quas ob tot peccata, etiam sola venia mereretur omnes etiam viri Sancti, nisi in hac vitâ plenè satisfaciatur.

Quintus finis Collectionis huius esse debet. Ita modum viuendi tuum instituire, & ordinare, vt post mortem assequaris altissimum in Regno caelesti locum, & thronum. Nam si in hac vitâ, non diu duraturâ, non vis esse in numero Rusticorum, & vilium personarum, & locum vltimum in Regno possidete, sed optas esse in summâ Regis tui & procerum gratiâ, & affluere diuitiis, & honestis honoribus, tuæ nobili conditioni convenientibus (quod quidem desiderium, si absit finis malus, malum non est ex se) multò magis optare, & procurare debes, vt in Regno illo aeterno, nullum finem habituro, locum assequaris quàm proximum throno Regis caelestis; siquidem is maius, & vtilius, & nobilissimum est, quàm omnis humana prosperitas, pro qua ad cœlitus es assequendâ, retinendâ, & augendâ. Accendete ergo ingenti desiderio locum in cœlo altissimum acquirendi. & vt ait S. Chrysostomus: *thronum Diuino throno proximum: & sic viuendi, vt illum acquiras.*

De impedimentis salutis amouendis.

Post Orationem præparatoriam.

PRIMUM PUNCTUM. Considera primum & maximum salutis impedimentum, esse quoduis peccatum mortale; per quod homo reditur inimicus Dei, mancipium diaboli, & destituitur ad regnum caeleste, & destinatur à Deo ad pœnas inferni, si in illo peccato moriatur, sitque indignus omni auxilio diuino, & omni dono Dei, etiam naturali, & dignus qui statim absorbeat in terra, & detrudatur ad ignem aeternum, & contra quem insurgant omnes creaturæ, eumque interimant, & omnia eius bona stabilia & mobilia annihilent per ignem & fulmina, per hiatum terræ, per insurrectionem omnium fluminum & aliarum aquarum submersionem, & aliis modis. Pondera singula, vt agnoscas quantopere tibi sit vitandum quoduis peccatum mortale. Si enim esset tibi aliquis, vel potus, quo leuiter etiam gustato, certò scires te morte subitanâ morturum omninò abstinere à tali cibo & potu semper, quamuis post mortem inde subsecuram non timeres infernam, eò quod scires te esse in Dei gratiâ; sanè multò magis debes abstinere semper ab omni peccato mortali, quia plura mala (paulò ante commemorata) adducit, quàm sit mors subitanea. Quocirca non minus, saltem, quàm à morte subitanea debes abhorreere à quouis peccato mortali, illiusque occasiones proximas vitare. Et statim apud

apud te, quomodo eas vitare debeas in posterum efficaciter.

Secundum Punctum. Considera easdem ob causas debere te quærere purgationem animæ tuæ à peccato mortali statim post lapsum in illud à te agnitum: sicut quæreres efficacem medicinam, statim post haustum aliquod venenum certam corporis mortem adferre solitum. Tum quia maius malum est mors Spiritualis illata animæ per peccatum mortale, quam solum periculum mortis corporalis ob haustum venenum imminens, immò quam ipsa mors corporis re ipsâ subsecuta: tum quia pericula malorum ex peccato mortali commisso perpetratorum, sunt maiora quam possint accidere homini ex solâ morte corporali in se solâ considerata, nimirum, æterna damnatio, si te mori contingeret non expiato peccato mortali commisso. Sicut ergo sciens te habere potentissimum exercitum hostium, te multò potentiorum imminere, quærentem te ad te mutandum vel captiuandum sine vllâ dilatione (si posses) adhiberes omnia possibilis auxilia & præsidia te in manus hostium venires; ita multò magis debes sine dilatione post quemuis lapsum in peccatum mortale, illud per confessionem Sacramentalem statim abolere, si potes habere confessarium; vel si is absit, per actum contritionis, quo euadas exercitum infernalem tibi ob peccatum mortale, pœnas inferni (quas eo meritis es) parantem, & te ad illas quasi trahentem.

Tertium Punctum. Considera aliud impedimentum salutis esse obligationem satisfaciendi Deo & proximo, neglectam, seu omisam, eamque non vnã.

Prima Obligatio est respectu Dei satisfaciendi pro peccatis commissis, & quoad culpam remissis, per Sacramenta, vel per actum contritionis, sed quoad pœnam temporalem in hac vitâ, vel in purgatorio luendam, non expiatis. Hinc S. Pachaſius (vbi scribit S. Gregorius Papa) post mortem fuit in purgatorio ob solam tenacitatem iudicij ex zelo ortam, quamuis eius Dalmatica faceret eo mortuo nondum sepulto miracula. Quocirca cogitandum tibi est ferid, in hac Collectione, quibus modis posses dum viuus satisfacere obligationi, & post mortem non pati remoram ab ingressu cœli.

Secunda Obligatio respectu hominum, famæ alterius per detractiones denigratæ restitutio, quæ omisa in hac vitâ, detinet homines in purgatorio. Ideo quidam defuncti qui S. Vincentio Ferrerio, & B. Ludouico Bertrando, magnis Sanctis ordinis Prædicatorum, detraxerant, dum viueret, non sunt admissi ad cœlum, donec Dei iussu apparente, illis eos de precati fuissent & suam culpam eis manifestasset, obtinuerint ab eis veniam & condonationem.

Lancicij Opusc. Tom. 2.

Tertia Obligatio respectu hominum, est restituendi res iniquè ablatas, vel impeditas, vel cum damno alterius detentas seu retardatas, vel per obliuionem culpabilem non solutas aut destructas. Quia iuxta Regulam illam in ius Canonicum relata: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Hac obligatione multi proceres & Domini & iudices & Consiliarij Regum, & Procuratores & Secretarij & Notarij seu scribæ, & allessores & Consiliarij & Oeconomi & Confessarij supradictarum personarum, sunt vehementer grauati, & multorum damnentur, quia fuerunt causa damnorum temporalium, vel consilio vel auxilio vel alio modo, etiam si damnum non fuerit maius, tacturâ aliquot ducatorum, vel imperialis seu talerorum in omni Theologorum communi & constanti sententiâ. Quapropter considera, num fueris causa grauis damni vel tuis subditis, vel tuis famulis, vel tuis vicinis, vel tuis aequalibus, vel fisco aut Reipublicæ vel iis quorum causas iudicasti, vel proposuisti in iudicio, non verè nec sincerè, occultando malitiosè vel alio modo monumenta aliquorum cause profutura, vel contra illos vel pro illis, decreta iussu Principis & Commissiones scribendo, & Principem non ita diligenter informando de rei veritate, pro & contra, vti veritas postulabat; & si inueneris te, coram Deo examinando, fuisse causam alicuius damni saltem aliquot ducatorum, satisfac sine dilatione parti læsæ à te, iuxta consilium docti & prudentis & non adulatoris Confessarij. Alioqui salus tuâ periclitabitur.

Quarta Obligatio est, puniendi iustè subditos peccantes. Ob huius rei omissionem culpabilem multi damnantur, & in hac vitâ grauitè puniuntur à Deo: sicut fuit punitus Heli Sacerdos eum filiis morte repentinâ sublatis; etsi monuerit filios & reprehenderit ob peccata eorum, tamen quia non castigauit eos seueriùs, vt oportebat, Deus tale contra Heli & familiam eius decretum dedit 1. Reg. 3. 11. & sequi. *Dixit Dominus ad Samuelem: suscitabo aduersum Heli omnia qua locutus sum super domum eius. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternũ, propter iniquitatem, eò quod nouerit indignè agere filios suos. & non corripuerit eos. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expiabitur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.* Pondera hæc, & si quid in te est simile omisum circa subditos non punitos, corrige.

De remora salutis.

Post Orationem præparatoriam.

Primum Punctum. Considera peccata venialia à iustis & à Sanctis quòque magnis committi solita, esse multiplicem remoram salutis has ob causas.

Gggg 2

Pri-

Primo. Quia qui iis in hac vitâ non abolitis moriuntur, etiam si essent Sancti, uti erant Apostoli, non admitterentur ad Regnum caeleste (quod est nostra salus aeterna.) Quia ut dicitur Apoc. 21. 27. *Non intrabit eò aliquid conquinatum.* Quocirca sicut parans te ad adeundum Regem, non maculares voluntariâ maculâ tuam faciem, sciens non esse decorum cum eâ te sistere in conspectu Regis, ita multò magis, parans te in hac vitâ ad adeundum Regem & Dominum Dominantium, & assidue stans in conspectu eius, ante te, vel tibi intimè præsentis, non debes te contaminare villo deliberatè commisso peccato. Imprime benè hanc veritatem menti tuæ, & abstine ab omnibus peccatis deliberatis, ne secus faciendo, factis ostendas te plus æstimare Regem quàm Deum.

Secundo modo peccata venialia sunt remora salutis, quia impediunt augmentum gratiæ (quæ est veluti semen & radix salutis nostræ) contaminando opera nostrâ quæ (extra vsum Sacramentorum) facimus, si ea facimus, cum aliquo peccato veniali, eorum finem vel modum operandi maculante; cum autem gratia sit intrinseca participatio Diuinitatis, ut docent Theologi seu ut loquitur S. Petrus 2. Petri 7. 4. *Consortium Diuinæ naturæ;* at hoc maius bonum, id est vtilius, præstantius, magisque nobis sit necessarium, quàm omnes thesauri huius vitæ; sicut execraretis omnes illos & vitares, quos ceterò scites impediuisse tibi ingens augmentum pecuniarum, & aliorum magnorum thesaurorum, ita multò magis, debes execrari omnia peccata venialia, & vitare. per quæ impeditur augmentum gratiæ in operibus tuis.

Tertio modo. Peccata venialia sunt remora tuæ salutis, quia ut ait S. Thomas, *sunt causa, ne animus promptè feratur in Dominum; & quia impediunt seruorem charitatis:* qui facit cum promptitudine animi opera bona, magis meritioria quàm essent, si fierent sine seruore & animi promptitudine. Quapropter sicut execraretis illum bonum contractum, quo tantum lucraretis honestè vnum pro centum: eum posses aliquo alio bono contractu, eadem pecuniâ lucrari mille pro centum: ita multò magis execrari debes peccata venialia, illa quoque quæ etsi non impediunt totaliter meritum bonorum operum tuorum, impediunt tamen maius multò meritum & luserum, quod per illa ipsa acquireretis si ea faceres cum omni promptitudine erga Deum, & cum seruore, quem peccata venialia impediunt.

Quarto modo. Peccata venialia sunt remora salutis, quia disponunt ad peccata mortalia (ut docent Theologi & Sancti) quibus maculatus homo est incapax salutis aeternæ, quippe factus dignus inferno, & priuatus per illa iure certissimo ad salutem aeternam. Quantopere

autem disponat, etiam vnum veniale peccatum ad multa mortalia, apparuit in Dauid Regi, qui ex aspectu curiosi faciei Bethsabee (qui initio erat curiositas venialis, & forte indeliberata) devenit ad turpem concupiscentiam illius fœminæ, & ad adulterium cum illâ, per annum integrum continuatum, & ad occisionem innocentis Viri eius mariti. Si ergo vnus aspectus curiosus fœminæ, Dauidem tunc virum Sanctum & Domino charissimum & (quod mirabilis est) habentem tunc ad minimum decem vxores (quia tunc hoc erat licitum) quarum vsu suam poterat explere libidinem, & concupiscentiam carnis sedare, si inquam virum tam Sanctum, vnum peccatum veniale disposuit & perduxit ad tot peccata mortalia grauissima; tu, qui non es (vri erat Dauid Dei iudicio in Scriptura relicto) *vir secundum cor Dei*, quomodo audes non curare peccata venialia? & tibi fidis? siue aspiciendo curiosè fœminas, siue contesando extra necessitatem & incautè; & siue testibus præsentibus cum illis: siue adeundo loca periculosa & suspecta, siue audiendo colloquia de rebus inhonestis libenter: siue legendo libros lasciuas historias continentes: siue aspiciendo turpes picturas, aut eas in memoriam reuocando. Hæc enim omnia non minùs ad peccatum disponunt, multos fragiles & habituosos in malo, quàm fuerit ille momentaneus (in principio) alienæ vxoris aspectus. Pondera hæc accuratè, & statue firmiter, nullum deliberatè committere peccatum veniale, præsertim in materiâ castitatis, immo & iracundiæ, & denigrationis famæ alienæ, & excessus in potu; quia per sola peccata venialia in his materiis commissa, docet experientia, multos, etiam alioqui bonos, delabi in graua peccata mortalia.

Secundum Punctum. Cõsidera mirum timorem qui fuit in S. Iohanne Baptista, declinandi non tantum peccata venialia, sed etiam honestas occasiones incidendi in illa. Hanc enim ob causam ut canit S. Ecclesia: *Antra deserti petiit, ab annis teneris, ne leuis saltem macula verbi otiosi se conquinaret.* Si ergo tam magnus Sanctus quo (Christi iudicio) non surrexit maior inter natos mulierum, & qui antequam esset natus, fuit in vtero matris suæ sanctificatus, adeò vitauit peccata venialia. Vide quid tibi sciendum sit, qui tam longè distas ab eius Sanctimonia, & tot tibi accersis non bonas occasiones illa committendi. Cogita ergo, quomodo ea & eorum occasiones deinceps vitare debeas.

De incitamentis ad promouendam propriam salutem.

Post Orationem preparatoriam.

Primum Punctum. Considera primum Incitamentum ad promouendam tuam salutem, esse finem, ob quem à Deo creatus es, qui, vt ait S.P. Ignatius, est is, vt Deum laudes ac reueraris, eique seruiens tandem saluus fias: iuxta illud Dent. 26. 18. Dominus elegit te hodie (per bonas inspirationes, quas tibi immisit, in hac Collectione & lecessu à negotiis) vt sis ei populus peculiaris, & custodias omnia precepta illius, & facias te excessiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam. Pondera ergo hæc singula verba, vt agnoscas intimè, quomodo te viuere oporteat, vt verè Deus videat se à te laudari, & glorificari, & quod eum reueraris eique seruias in ordinariis operibus tuis. Et si inuenieris te bene illi seruire (quod sic seruando eius mandata) perge sic deinceps, quod si inuenieris te non exequi eo modo Dei voluntatem in præceptis eius, quomodo vis tibi à tuis famulis & subditis seruari tua mandata, confundere, dolo, veniam pete à Domino Deo tuo, & seriò delibera, quibus modis emendare deinceps debeas seruitutem tuam Deo malè impensa, & propone seriam emendationem tui in aliquibus rebus particularibus.

Secundum Punctum. Considera radices seu causas, ob quas hæcenus Deo malè seruiisti, & te indignum reddidisti æternâ salute; & quam ex causâ indignæ sint, vt propter illas Dominum tuum Deum, futurum Iudicem tuum, offendas, & te priuës præmio æterno. Ex alterâ parte considera, quod ob longè minores causas, negares famulis tuis promissa stipendia & præmia obsequiorum, si illi ita te offenderent & tua iussa non exequerentur, sicut tu non es executus, vel non exequeris iussa Dei, & petere ab eo tui saluationem, in præmium seruitiorum tam malè ei impensorum, qui famulis tuis iustè negares debita stipendia, ob minus malè impensa tibi obsequia. Confundere itaque & te emenda, & pete à Domino Deo gratiam te seriò & cõstanter emendandi.

Tertium Punctum. Considera secundum incitamentum ad promouendam tuam salutem esse, vsum Sacramentorum, per quæ toties & liberaris ab impedimentis ac remoris salutis, scilicet peccatis, & gratiam Dei sanctificantem acquiris in anima tua, & gratiæ Diuinæ multiplicia auxilia tibi concilias, ad declinandum à malo & ad facienda bona. Cum autem hæc Sacramenta, præsertim SS. Eucharistia, habeant magnam effi-

caciam, ad salutem tuam promouendam, per fugam peccatorum, & per frequentationem bonorum operum, inquire quam ob causam in te non experiaris effectus Sacramentorum toties fœceptorum, & causam vel causas huius rei agnitas deplora, amouere vel vitare stude, & te emenda.

Quartum Punctum. Considera tertium incitamentum ad promouendam tuam salutem, esse Christi Domini vitam, Passionem & mortem, tot doloribus & afflictionibus & iniuriis pro te per 34. annos à Christo Domino toleratis plenam. Quæ omnia fecit & passus est, vt tu Deo bene seruites & saluus esse posses post mortem. An autem & quibus modis corresponderis Domino tuo, & respondeas, tam multa pro te passio, inquire & confundere; & veniam pete, & propone seriam emendationem in melius ponderando illa verba S. Pauli Apostoli: Non estis vestri, empti enim estis pretio magno (scilicet vitâ & sanguine Dei pro vobis incarnati) Glorificates, ergo, & portate Deum in corpore vestro. Quod quomodo exequi debeas vide, & tanquam mancipium Dei eius sanguine emptum, ei serui deinceps & seruendo bene, bonâ vitâ, promoue tuam salutem.

Quintum Punctum. Considera quartum incitamentum ad promouendam tuam salutem esse, quod te Deus ob tot peccata promeritum pœnas inferni, ad eas non detrulerit, vel saltem ad pœnas purgatorij, si nunquam mortaliter peccasti. Maius enim beneficium est, nunquam passum esse pœnas inferni vel purgatorij, ei qui illas promeritus fuit, quàm liberari à pœnis inferni. Quocirca sicut is qui nunc liberaretur ex inferno, procul dubio abstineret à peccatis ob quæ ad illas pœnas fuit detrusus & præterea sanctissimè viuere, grati animi ergò, ita multò magis tu nunc promouere debes tuam salutem, abstinendo à peccatis, & bene omnia faciendo in obsequium Dei.

Quod autem maius beneficium sit non sensisse pœnas inferni quàm ab iis esse liberatum, patet; quia beneficium liberati ab iis pœnis esset, carere illis pœnis, sicut tu hæcenus iis caruisti, idèd in hoc par es ei qui liberatus esset ex inferno: at, non esse passum illas pœnas, aliud beneficium est, quo caruit ille qui ab illis esset liberatus: plus ergo tibi Deus præstitit, proinde magis esse debes gratus Deo ob maius beneficium, & illo bene vti ad promouendam tuam salutem.

De vitandis peccatis moralibus, precipuis salutis nostrae impedimentis.

Post Orationem preparatoriam.

Primum Punctum. Considera, nullum à Deo damnari & detruidi ad aeternas inferni penas, nisi post certum numerum peccatorum mortalium à peccatore commissum, & ab aeterno à Deo praesum: qui certus ac determinatus numerus ab eo praesum, donec compleatur, nullum damnat, vt docent post Leonem Papam & S. Chrysostomum h. 37. in Genes. & alios Patres fundati in sacra Scriptura Theologi Cornelius in c. 23. Matth. 32. 34. & in 1. Thess. 2. 16. Lessius l. 13. de perf. diu. c. 11. Iust. in c. 1. Thess. 2. 16. Quocirca cum nescias, (si peccas mortaliter) quantus sit ille numerus peccatorum mortalium à Deo, in te praesum, quo completo, deberes damnari, resolu te toto possibili conatu, ne deinceps vllum prorsus peccatum mortale committas, ne forte, primum illud peccatum mortale, quod posthac committeres, sit complementum illius numeri peccatorum praesum à Deo, ob quem esses damnandus. Pondera hoc diligenter, relegendo & ruminando hanc certissimam doctrinam, & consule animae tuae ne pereas, multiplicando noua & noua peccata mortalia: quia si peruenieris ad certum eorum numerum à Deo praesum, damnaberis, & nihil te iuuaabit sicut non iuuat scelestum Antiochum, qui est orabat Dominum vt ait S. Scriptura 2. Mach. 9. 13. tamen ab eo non erat misericordiam consecutus: Pondera hoc, & time, & vita peccata mortalia.

Secundum Punctum. Considera tantam esse grauitatem peccatorum mortalium, vt Deus ad persuadendam nobis eorum grauitatem, & fugam (loquendo humano more) sua quandoque mutarit Decreta & promissiones, suis caris amicis factas sine vlla limitatione: praeterea propter vnus hominis mortale peccatum, etiam innocentes & non cooperantes illi, puniuerit. Hoc maxime apparuit in furto Achan, qui cum ex rebus à Iosue Deo oblati furatus esset pallium coecineum & ducentos siclos argenti & regulam auream quinquaginta siclorum, idque solus, nullo penitus concilio, nullo cooperante fecisset, Deus iratus est contra filios Israel vniuersos, & dixit: illos quoque prauaricatos esse mandatum, & vrsupasse de anathemate, & furatos esse, & peccasse. Et hanc ob causam cum Iosue misisset tria millia militum ad expugnandam Urbem Hai, percussa sunt à ciuibus Hai & fugata illa 3000. & ex eis occisi 36. homines, & postea Achan Dei iussa perfortes inuentus reus, lapidatus fuit, filij quoque & filiae eius, boues, & asini, & oves, ipsam-

que tabernaculum, & cuncta supellex eius, & cuncta quae illius erant igne consumpta sunt, etsi solus Achan peccauerit furto illo, & antequam lapidaretur, ostenderit signa penitentiae, furtumque statim confessus fuerit coram populo vniuerso dicens: *Verè ego peccavi D. Dei Israel & sic & sic feci.* Ios. 7. Pondera singula, vt agnoscas vnus solius peccatum mortale etiam Communitati nocere innocenti, sed maxime hoc pondera, quod Deus ob illud vnus peccatum, reuocauit seu non impleuit promissiones suas factas Iosue. Nam Ios. 5. 9. promiserat illi sine vlla exceptione, haec: *Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitae tuae sicut fui cum Iericho,* (qui semper vicit hostes) *ita ero tecum. Non dimittam, nec derelinquam te. Ecce praecipio tibi, confortare & esto robustus, noli meture, & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus, in omnibus ad quacunque perrexeris.* Et tamen à ciuibus Hai 3000. militum Iosue fuerunt vicia & fugata, & 36. ex eis occisi. Nimirum quia vt ait S. Chrysostomus h. 80. ad pop. *Deum cum aliqua dare bona pollicetur, indignos autem videt effectos, tunc sua reuocat promissa.* Ideo mirum non est, & tempore bellorum, & tempore pestis, multos orantes non exaudiri, sed quam plurimos ab hostibus maclari, & capi etiam innocentes, & peste extingui, quia tot alij concius & committiones innumeris Deum offendunt peccatis. Quocirca & tu tuis adhibere peccatis tot clades huius Regni, si vnus Achan nocuit alijs. Ideo resolu te nunquam peccare mortaliter, ne & regno vniuerso & saltem tuae familiae noceas, sicut adulterium & homicidium Dauidis nocuit innocenti filio eius infanti, quem Deus ob patris peccata mori fecit, & licet Dauid & oraret & ieiunaret pro illo, vitam ei agrotanti impetrare non potuit 2. Reg. 12. 14.

Tertium Punctum. Considera terribilia Dei verba illa scripta Exod. 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Vnde S. Augustinus hoc ponderans scripsit l. 6. cont. Julian. c. 12. *Quam multa sunt diuinarum testimonia scripturarum, quae parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit? Cur enim peccatum Achan & in eius filio Chanaan, vindicta prolata est. Genes. 9. 25. Dan. 3. 56. Cur pro peccato Salomonis filius eius diminutione Regni puniuit? 3. Reg. 12. Cur peccatorum Achab Regis Israel in eius posteris poena dilata est? 3. Reg. 21.*

Sic ob peccatum Giezi ad posteros eius innocentes lepra transmissa est 4. Reg. 5. 27. Sic ob Pharaonis adulterium in Saram commissum, non tantum Pharaonem flagellauit Deus plagis maximis, sed & domum eius Genes. 12. 17. Et quod mirabilis est, ob solam voluntatem quam habuit Abimelech coeundi cum Sarâ vxore Abraham, puniuit est à Deo sterilitate, ipse & vxor eius & omnes acie illarum.

Gen. 20. Quamuis ipso Deo teste, & id dicente, in hac re non peccauerit Abimelech, vt ponderat S. Chryostomus hom. 45. in Gen. & ignorauerit Saram habere maritum; & tunc permissum fuerit habere plures vxores sine peccato. Hæc diligenter ponderans, agnosce quantopere quoduis peccatum mortale sit fingendum, ne & animæ tuæ Spiritualiter noceas, & ne sis causa damnatum temporalium tuæ familiæ, & tibi, immo toti regno. Nam vt præter exempla allata, ait S. Basilius hom. 8. in diuites auaros: *Per paucos mala, erumnaq; ad vniuersum populum sepius perueniunt; & vnius ob noxam tota Gens aliquando eueritur.*

De vitandis peccatis venialibus.

Quia nocent in hac vita.

Post Orationem præparatoriam.

Primum Punctum. Considera tam graue esse, peccatum veniale, etiam vnicum, etiam à Sanctis commissum, vt, ad declarandam eius grauitatem, & quantopere sit vitandum, Deus quandoque multos morte repentinâ extinxerit, qui non cooperati fuerunt ad illud, & quoad illud verè erant innocentes. Admirabile extat huius rei exemplum in S. Rege Dauide, qui cum ex elatione quadam animi iussisset numerari homines sibi subditos, quot essent apti ad bellum, eam solam ob rem, Deus pestilentia extinxit Septuaginta millia virorum. Quod vt melius percipias.

Pondera primò. Illam elationem seu numerationem populi, non fuisse peccatum mortale, sed veniale, quia Deus in duobus solis peccatis, testatus est à Dauide violata esse Dei præcepta, scilicet per homicidium Vriæ & per adulteriũ cum eius vxore commissum, in reliquis verò Dauidem fecisse rectum in oculis Domini, & non delinasse ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vite suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi 2. Reg. vii. & 3. Reg. xv. 5. Ergo illa numeratione populi, non peccauit mortaliter, & tamen Deus ob hoc veniale eius peccatum, 70000. subditorum eius, peste necauit, & tam notabiliter numerum subditorum eius imminuit. Idè mirum non est, si & Regibus & Dominis sæpè multi subditi peste & bellis extinguantur, quando ob vnum peccatum veniale Regis Sancti Deo carissimi, quem Deus Virum secundum cor suum 1. Reg. xv. 14. Act. 23. 22. appellauit, tot ei subditos extinxit. Vide ergo quantopere vitare debeas quoduis peccatum veniale, ne & tibi & aliis noceas, cum non sis tam Deo carus, vt erat Dauid.

Pondera secundò. Hanc numerationem aptorum ad bellum subditorum fuisse necessariam Dauidi, sicut est necessaria cuius Regi bella gerenti, & ab hostibus infestato, vtiperpetuò

infestabatur Dauid, etiam, postquam ei Deus promiserat: (nota hoc diligenter) *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.* 2. Reg. 7. 11. Nam post hanc promissionem sibi factam, mouerunt contra illum bella numerosissimo exercitu instructa, hostes eius Philisthæi, Moabitarum cum Rege Soba, & Syri, & Ammonitar. 2. Reg. 18. & 19. Et tamen Deus numerationem hanc populi, etsi necessariam Dauidi, tot mortibus subditorum puniuit, quia fuit contaminata solo peccato veniali elationis.

Pondera teritiò. Saulem, etsi non ita Deo carum, immò postea abiectum à Deo, numerasse similiter populum, & tamen ob hanc numerationem, non fuisse à Deo punitum, immò posteam obtinuisse ex hoste victoriam; 1. Reg. 11. 8. 11. siue quia numerauit Saul populum, sine vilo peccato in ea commissio, siue vt Deus offenderet, cæteris paribus, grauiora esse peccata deliberatè commissa ab iis, qui sunt Sanctiores, vel potentiores, & maioribus honoribus ac donis à Deo ornati, sicut erat ornatus Dauid tot Dei fauoribus. Certa est enim doctrina Theologorum eum S. Thoma: 1. 2. q. 73. a. 10. & 2. q. 186. a. 10. Magnitudinem personæ peccantis, aggrauare peccatum ex deliberatione procedens: quod etiam Sancti docent, S. Cæsarius, S. Isidorus, S. Bernardus, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Chryostomus. Cæf. h. 18. Isid. 1. 2. de sum. bono. c. 18. Bern. lib. 2. Confid. c. 13. Naz. carm. 3. ad Virg. b. 19. Chryf. h. 77. ad ad pop. Quò ergo maior est, siue diuiciis siue honoribus in Repub. siue statu perfectiore, eò magis vita peccata venialia, ne & tibi, & aliis noceas.

Secundum Punctum. Considera vnum peccatum veniale mereri etiam à Sancto Viro commissum, vt totum Regnum veniat in potestatem hostium, etsi sine iustâ belli causa bellum gerentium. Stupendum huius rei exemplum habemus in S. Scriptura, quæ narrat ob offensos à S. Rege Ezechia Legatis Regis Babylonis suos thesauros, ita fuisse hac re offensum Deum, vt statim miserit ad eum Isaiam Prophetam cum hac prædicatione: *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem; non remanebit quicquam ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis, 4. Reg. 20. 13. 17. & 4. Reg. 24. Et ita prorsus euenit. Nam postea Nabuchodonosor Rex Babylonis expugnauit Ierusalem, accepit omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regis, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini, & transfudit omnem exercitum in captiuitatem, & omnem artificem, nihilq; relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transfudit quoque Ioachim Regem Iudæ in Babylonem, &*

Matrem Regis, & uxores Regis, & Eunuchos eius, & Iudices terre duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem.

In quo facta pondera primò, hanc ostensionem thesaurorum facta à Rege Ezechia, vt ait bene Salianus. An. M. 3324. num. 32. fuisse vnum ex minoribus bonorum peccatù. Non fuit ergo peccatum mortale.

Secundò pondera. Ezechiam fuisse Regem Sanctissimum, cui nemo nostrum par est, sic enim laudatur à Deo in S. Scriptura: 4. Reg. 18. 3. 4. *Fecit quod erat bonum coram Domino; sicut omnia que fecerat Dauid Pater eius, &c.* Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt: & adhesit Domino, & non recessit à vestigijs eius. fecitq; mandata eius quae praeceperat Dominus Moysi. (proinde nunquam peccauit mortaliter.) Vnde & Dominus erat cum eo, & in cunctis ad qua procedebat, sapienter se agebat. Si ergo tam Sancti Regis vnum veniale peccatum adeò nocuit toti Regno, tua tot, maiora, non nocebunt, non nocuerunt hactenus per tot clades Regni? Agnosce ergo quanto pere sint etiam venialia peccata à te vitanda. Noli ergo ea parui facere.

Pondera tertio. Tam bonae conscientiae fuisse Regem Ezechiam, & tam eminentis virtutis, vt eam ex Dei dono in se cognoscens, ausus fuerit Deo ipsi dicere: 4. Reg. 20. 3. & Isai. 38. 3. *Obsecro Domine, memento quaso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Potestne tu talia de te dicere Deo: si ergo talis Regis, vnum peccatum veniale suo Regno, & suis posteris nocuit, vide an idem tibi timendum sit, proinde vita peccata venialia.

Pondera quarto. In tantà gratià fuisse apud Deum, hunc Regem Sanctum, vt ob breuissimas preces eius Deus mutauerit suum Decretum ei per Isaiam Prophetam annuntiatum, de eo tunc morturo. Nam non est tunc mortuus, etsi morturum eum Deus per Isaiam praedixerit 4. Reg. 20. Isai. 38. immò addidit ei 15. annos vitae, & in signum huius rei fecit, vt sol retrocesserit in sua substantia (non in solis radijs vel umbra in horologio) retrò ad decem gradus, vt dicunt SS. Patres Dion. ep. ad Polyc. Orig. h. 30. in Matth. Naz. or. 19. Hier. in cap. 7. Isai. & 38. Ang. l. i. ciuit. cap. 8. & expressè Isaias Propheta Isai. 38. 8. Et alia vice, breui oratione impetrauit à Deo, vt Angelus vna nocte in castris Assyriorum occiderit ex hostibus eius centum octuaginta quinque millia Assyriorum 4. Reg. 19. 14. 20. 35. Si ergo vnum peccatum veniale Regis tam Sancti, tam Deo cari, toti Regno & posteris eius nocuit, quid putas mereri tua peccata, qui tam carus Deo non es, vt ille fuit: Ideò deinceps tanquã ab igne, & tanquã à facie colubri, fuge quoduis veniale peccatum, ne vnquam vllum plenã deliberatione committas.

De vitandis peccatis venialibus.

Quia nocent post mortem.

Post Orationem preparatoriam.

Primum Punctum. Considera nullum mortuum, etiam si esset tam Sanctus, vt fuit Beatissima Virgo Maria intrare posse in caelum, si vel vnicum peccatum veniale habeat in animã suã, non remissum in hac vitã quoad culpam, vel si remissum esset, non expiatam quoad obligationem poenae; quia in caelum nil co inquinatum potest intrare Apoc. 21. 27. Omnes enim qui in caelo sunt sine macula sunt ante thronum Dei. Apoc. 14. 5. Quam exclusionem à caelo, anima, etiam si nihil pateretur in Purgatorio, sentit cum inexplicabili dolore & afflictione, maiore quã senties, si te Rex iuberet publicè, totã Ciuitate spectante, excedere ex sua Curtiã, vel expelleret à loco Audientiae, tunc dum illam velles habere, habens magnam necessitatem eum alloquendi. Quocirca sicut abstinere à quoduis peccato veniali, si ob illud commissum certò scires te non admissum iri ad palatium Regis, idque toto Populo, & Proceribus Regni spectantibus, ita multò magis debes abstinere à peccatis venialibus deliberatè commissis, ne post mortem arcearis à SS. Angelis ab ingressu in Regiam Caelestem, & ad conspectum Dei: nisi pluri facias conspectum Regis quã Dei. Quando senex Tobias factus caecus, audiuit sibi dici ab Angelo: *Gaudium tibi sit semper: respondit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cali non video.* Tob. 5. 12. 17. Atqui magis desiderabunt animae mortuorum, videre iactam faciem Dei, quã desiderent caeci videre lumen solis. Ne ergo post mortem sentias magnos merores & dolores ob negatum tibi Dei conspectum, fuge nunc peccata venialia, & commissa expia quam primum, ne arcearis à videndo Deo post mortem.

Secundum Punctum. Considera ob peccata venialia in hac vita non expiata, multos pati in purgatorio poenas acerbiores, quã passus sit Christus Dominus in hac vita, vt docet Sanctus Thomas, & maiores quã fuerint omnium Martyrum tormenta, & omnium sceleratissimorum latronum supplicia, vt dicit SS. Augustinus. Caesarius, Anselmus, Gregorius Papa, Beda. Immo S. Thomas dicit minimam poenam Purgatorij, maiorem esse maximã poenam huius vitae. Aug. in Psalm. 37. & l. de cura pro mort. c. 8. Caes. h. 8. Ansel. in 1. Cor. 3. Greg. in Psalm. 3. Penit. Bed. in Psalm. 37. 1. Tho. Opul. 63. de beatitud. c. 2. & 3. p. q. 46. a. 6. ad 1. & ad 3. & in 4. d. 21. q. 1. a. 1. quaest. 3. Et Author antiquus (sed non Cyrillus) apud S. Augustinum Epist. 206. tom. 2. scribit, audiuisse se à quodam resuscitato, per saecum S. Hieronymi: Omnia

tormenta huius vite comparata minima pœna Purgatorij, sunt solaris. Mallet enim quilibet viuendum, omnes que hic videntur pœna. & tormenta si illas experientiã nosceret pœnas, vsque ad finem mundi, omnibus his simul sine remedio, cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quàm vnâ die, in inferno. siue in Purgatorio, minori que illis habetur pœnâ torqueri. Et Christus Dominus dixit S. Brigittæ de quodam ad Purgatorium ituro: l. 6. Reu. c. 2. sic in Purgatorio amarum habebis anima eius supplicium, quod nullus mortalis est, qui possit illud cogitare. Et tandem sic concludit Christus Dominus: Quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam habent in mundo, & nullis tribulationibus fatigantur? B. Maria Magdalena de Pazzis in extasi existens, dixit: 2. par. vit. cap. 13. Omnia tormenta, qua passi sunt SS. Martyres, sunt tanquam amœnus hortus, respectu eorum, qua insiguntur in purgatorio. Quocirca si certi essemus, nos ob vnum peccatum veniale deliberare commissum, comburendos in foro à carnifice, spectante totâ Ciuitate, omnino abstineremus ab illo, ita cum maior sit ignis Purgatorij, quàm huius vitæ, & à diabolis in eo quandoque torqueantur animæ. Deo spectante & Sanctis, ob vnum etiam peccatum veniale leuissimum, fugiendum est, quantum fieri potest cum Diuinâ gratiâ. Torqueri autem à diabolis eas non semper sed quandoque, constat ex lib. 4. Reuel. S. Brigittæ. c. 7. & 8 S. Gregorio Papa l. 4. dial. c. 36. Beda lib. 3. hist. Angl. r. cap. 19. & lib. 5. hist. c. 13 S. Gertrud. lib. 4. c. 27. Insinuat diuinæ piet. S. Bernardi vita lib. 4. c. 10. Baronio tom. 8. Anno 647. Cantiprat. lib. 2. Apum c. 51. Dion. Carthuf. de 4. nouill. de iudic. partic. art. 11. Antonino lib. 4. hist. c. 34.

Tertium Punctum. Considera paucissimos Iustos in adultâ ætate morientes, rectâ ire ad cœlum, sine sensibilibus pœnis ignis Purgatorij, vt patet ex Historiis Ecclesiasticis, & docet Bellarminus: l. 1. de amill. grat. c. 13. in fine. Vix, inquit, vlli iusti homines, nisi ex magnâ misericordiâ Dei, pœnam Purgatorij acerbissimam euadunt, ita, vt rectâ ex corpore ad cœlum euolent. Ideò tantò maiore conatu abstinere à peccatis venialibus, tanquam causis tantarum pœnarum.

De modis euadendi pœnas Purgatorij.

Post orationem preparatoriam.

Primum Punctum. Considera cum ob sola peccata in hac vitâ non plenè à iusto iudicè Deo mittantur, conare, vt quàm minimè & quàm rarissimè pecces, & peccata commissâ statim quoad culpam aboleas confessione Sacramentali. Per hanc enim certius vi Sacramenti abolerentur, quàm per contritionem vel dolorem aut amorem Dei, de quo nullus nostrum certus esse potest (citra reuelationem) an sit tan-

tus & talis, qualis esse debet ex parte nostrâ, vt aboleat commissum peccatum.

Secundum Punctum. Considera & adhibe hos modos securos & certos satisfaciendi pro peccatis per confessionem remissis, & euadendi penitus pœnas purgatorij, vel omnino omnes, vel saltem sensibiles illas quæ per ignem purgatorij insiguntur. Nam quædam sanctiores & puriores animæ solâ carentiâ visionis Dei in purgatorio torquentur, nullam autem sensibilem aliam ab igne illo pœnam sentiunt, vt patet ex historiis Ecclesiasticis, & docet Bellarminus l. 2. de purg. c. 6. 14. c. 1. magis c. 7. & alij supra citati, in fine secundi puncti.

Primus modus satisfaciendi pro peccatis quoad culpam remissis est, patienter ferre aduersitates à Deo immixtas vel permixtas, vt sunt mortes sanguine iustorum, damna rerum mobilium, & variæ persecutiones & iniuriæ siue verbis siue factis illatæ, quæ solæ, si multæ sint & magnæ, sufficiunt ad animam iusti rectâ deducendam ad cœlum, vt contigit animæ Angeli Paz viri Sancti Franciscani Sacerdotis, de quo post mortem certò rescitum est, iusse ad cœlum sine purgatorio, quia multa passus erat à suis quibusdam malis fratribus, præsertim ab vno. Per hanc viam procul dubio S. Iob purgatorium non sensit, quia tot calamitates patienter tolerauit, & postea sanctè vixit.

Secundus modus est, explere pœnitentiã à Confessario iniunctas quæ quò sunt maiores eò citius abolerent pœnas. Ideò æquo animo ferendum est, si aliquando etiam indiscretus aliquis (vt contingit) Confessarius, graues pœnitentiã iniungat, nunquam enim erunt tam graues, vt sunt pœnæ purgatorij.

Tertius modus est, pœnæ voluntariè susceptæ, vt sunt ieiunia, disciplinæ, cubationes in nudis asseribus, toleratio frigoris, vel caloris, eò sine suscepta, morsus pulicum, culicum, muscarum ad hunc finem toleratus, & similia alia carnem affligentia, eò sine adhibita, vt pro peccatis commissis satisfiat Deo.

Quartus modus est, frequens & feruens oratio, præsertim deuota Missæ auditio. Ideò statue certas aliquas quotidie habere Orationes, manè præsertim antequam inchoes negotia, deinde vesperi antequam cubitum eas. Exempli gratia, recitare quotidie Officium Beatissimæ Virginis, dicere eius coronam, vel breues multas Coronulas, recitare Litânias Sanctorum & de Beatissima Virgine.

Quintus modus est, vt Indulgentijs, sed is minus est certus, quia vt docent Theologi & Platus l. 1. de bono statu Relig. c. 13. præter potestatem quam Deus dedit Romano Pontifici ad concedendas Indulgentias, & concessione earum, alia requiruntur ad consequendum effectum illarum dependentia ab hominibus, ob quorum defectum sæpè à Deo non acceptan-

ceptantur: vt patet ex historiis variis fide dignis, mortuorum post executionem rerum in Indulgentiis assignatarum, tamē diu post mortem in purgatorio detentorum.

Sextus modus est, vltus frequens & devotus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quæ et si possit omnes pœnas abolere, tamen vt docet S. Thomas .3.p.q.79.art.3 non omnes abolet, sed iuxta quantitatem deuotionis, & feruoris cum quo Eucharistia sumitur, vel vt Sacrificium pro aliis offertur.

Septimus modus & omnium commodissimus euadendi pœnas purgatorij est, quotidie multa bona opera facere ob aliquem finem supernaturalem, quia vt docet S. Concilium Tridentinum sess.14. can.13. præter orationem, ieiunium, & elemosinam etiam alia opera pietatis satisfactoria sunt pro pœnis. Quocirca si iustus opera ordinaria quæ facit, etiam Comestionem, ambulationem, recreationem, somnum, denique omnia (solum peccato excepto) faceret ob finem supernaturalem, incredibiliter minueret pœnas in purgatorio, vel in hac vitâ luen-das. Et hunc modum B.M. Magdalena de Pazzi commendabat suis Monialibus, tanquam aptum ad euadendas pœnas purgatorij. Cæsar. in vita c.44. Immo hic modus est, per quem possumus locum in cælo attingere altissimum Diuino throno proximum.

Octauus modus pro diuitibus est, elemosynarum elargitio. Quoniam vt dicitur Iob 4. 11. Elemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire ad tenebras. Ideo Daniel Prophe-ta suadebat Nabuchodonosori Dan 4. 24. Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum. Elemosyna enim, vt dixit Angelus Raphael Tobia, purgat peccata & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Tob. 12. 9. vlt que aded vt S. Thomas cum alijs doceat: in 4. d. 15. art. 2. quæst. 2. Medina C. de elem. q. 2. Pal. in 4. d. 15. q. 3. art. 1. concl. 2. elemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quam ieiunium & orationem. Diuites ergo facilius possunt euadere pœnas purgatorij dando elemosynas, quæ cæteris partibus magis Deo placent, si dentur personis Deo magis caris, & maiore necessitate pressis (vti sunt ciues honesti qui erubescunt mendicare) & Dei cultum magis promouentibus. Delibera ergo tecum, quomodo modis supradictis vti debeas, ne post mortem vllas purgatorij pœnas patiaris, & quod pro liberando te à doloribus colicis vel podagræ faceres, fac eodem conatu pro animâ tuâ, ab illius ignibus præseruandâ.

De vita recte instituenda à Regni Proceribus.

Primum Punctum. Considera quomodo deinceps te gerere debeas, circa fugam pecca-

torum & occasionum per quas ad illa peccata delaberis; reuocatis in memoriam iis quæ hætenus in hac Collectione agnouisti, tibi esse faciendâ, & scripto annotata interdum tibi relegendo, quomodo te debeas gerere quoad vitanda peccata & occasiones eorum.

Secundum Punctum. Considera & scripto annota, quomodo deinceps debeas te erga Deum gerere, quoad frequentiam Sacramentorum, & priuatas orationes ac deuotiones, & auditionem concionum, ac visitationem templorum.

Tertium Punctum. Considera in quos defectus labebaris hætenus in conuersatione cum domesticis, cum vxore si illam habes, & cum famulis, & annota fugiendos defectus.

Quartum Punctum. Considera an bene tractaueris tuos subditos, siue Ciues, siue Rusticos, & si quid sit emendandum, emenda.

Quintum Punctum. Considera Officium publicum si geris aliquod, an in eo contra charitatem vel iustitiam deliqueris, & quid deinceps in eo vel vitandum vel faciendum esse agnoueris, statue apud te, & Scripto annota memoriæ causâ.

Sextum Punctum. Considera. An tui domestici & subditi faciant id, quod debent vel Deo vel Ecclesiæ, circa frequentationem ad eas, circa vsum Sacramentorum, circa solutionem decimarum, circa administrationem iustitiæ, & circa alia. Et efficaciter illos adige, vt præsent quod debent. Statue verò, vt saltem quolibet mense, famuli & ancillæ tuæ conuocentur & communicent: assignando pro hac re illis instar legis, vt id faciant, vel primâ Dominica cuiusvis Mensis, vel in præcipuo festo illius Mensis. Nam & de hoc Patresfamilias reddent rationem Deo in die Iudicij.

Septimum Punctum. Considera quæ proposuisti facere vel vitare, vel corrigere, manifesta dirigenti te Patri in Exerctis, & cum eo confer; ita maiore luce acceptâ ab eo, solidius & melius exequeris bona proposita facta in hac Collectione.

Octauum Punctum. Præcipua Proposita, maxime quæ concernunt fugam peccatorum mortalium, aut molestiarum antea alijs siue domesticis siue extraneis adferri à te, aut à quopiam alio, tibi subiecto solitarum, quotidie reuoca, in Sacro, post Eleuationem Sanctissimi Sacramenti, & offer Diuinæ Maiestati in vnione meritorum Christi Domini, & in vnione illius quod audis Sacrificij, peteque à Domino gratiam illa exequendi; & si aliquid non es exequutus, vehementer dole, confundere, humiliare te, incusa quam infidelitatem in seruandis promissis, seu propositis Deo factis, veniam pete, vt tibi Deus condonet, confessione quam primùm expia, & cautiùs viuere stude, ac pro his omnibus à Beatissima Virgine Maria, ab Angelo tuo Custode, à Patrois tuis particu-

laribus, denique ab omnibus prorsus Sanctis qui sunt in cælo, pete intercessionem apud Diuinam Maiestatem pro te, vt semper bona propo- sita exequaris, & de bono in melius profici- as iuxta incrementum ætatis.

*Monita data cuidam Comiti Bohemo
ea perenti Anno 1642.*

Cum Illustrissima D. V. pro sua spiritali di- rectione & sui similitum petierit aliqua monita, iuxta quæ possit placere Deo & homi- nibus, & in Aula Augustissimi Imperatoris Christianè viuere, & saluari, ac æternæ damna- tionis discrimen euadere, hæc Illustrissimæ D. V. commendo, & eius similibus, valdè pro- futura.

Primo. Nunquam peccet mortaliter, ne qui- dem cogitatione, tum propter alia motiua, quæ sæpè Illustrissima D. V. audiuit à Concionato- ribus & legit in libris piis, tum maximè, quia quodlibet peccatum mortale, quod homines committunt, est iusta causa vehementer timendi, ne fortè sit illud, post quod commis- sum, Deus ab æterno præciuerit, hominem esse ob suam culpam damnandum, & illum ob eius culpam damnationi æternæ destinauerit. Nec enim Deus casti, & temerè damnat quos damnat, sed hos damnat propter pauciora, al- hos propter plura peccata ab eo præuisa, quæ vitare poterat, si voluisset cooperari gratiæ Dei omnibus à Deo oblata.

Quando ergò completur malitia peccato- rum per vltimum peccatum mortale, à Deo præuisum (& ne committeretur, à Deo in conscientia præmonitum ne committeretur) tunc executio fit damnationis æternæ, non quidem statim, sed prout Deo videtur, quan- doque post multa alia peccata mortalia adiun- cta, expectante interim D. Deo conuersionem & penitentiam peccatoris, qui sem- per habet tempus penitentia, quia *D. Deus stat ad ostium & pulsar*, vt ait S. Ioannes, & per eum Spiritus S. & vt dixit præclarè celebris Orosius Cordubensis in Ecclesiasticâ historiâ, *Deus non tantum omnibus, sed & singulis offert gratia sua auxilia, pro singulis temporum momentis.*

Secundò. Si contingat, vt peccatum aliquod mortale committat, eo ipso die illud confiteat- tur. Cur? *Primo*, quia fieri potest, vt illo die moriatur vel morte subitanâ vel violentâ & ca- suali. Quod, si fieret, damnaretur, nisi præmis- set confessionem vel actum contritionis. *Secundò*, quia ij, qui post peccatum mortale com- missum statim illud confitentur, non sunt eor- um è numero de quibus dixi in primo Mo- nito. Et tales peccatores D. Deus, volens illos saluare, excitat, vt statim confiteantur, & pon- ant se in statu salutis. Ideò valdè benè faciunt illi Procetes, qui semper habent in suo comi-

tatu Sacerdotes, & domi, & in itineribus, vt si opus sit, ab iis absoluantur.

Tertio, quia in Aula Augustissimi Imperato- ris multi sunt Procetes egregij, qui habent qui- dem magnam spem in misericordia Dei, sed media non quærunt salutis, ita oportune, vt deberent, suadeo Illustrissimæ D. V. vt voto se obliget, ad confitendum peccatum mortale, si illud (quod absit) committeret (nunc enim illud, Deo laus, non committit, sed illud hor- ret) illo ipso die.

Quarto, quia multi non explent vota Deo facta, simul cum voto præterito, adiungat al- terum votum, eo die quo non confessus est (cum potuerit peccatum illud, vel plura) dan- di elemosynâ pauperibus in Nosocomio ian- centibus & quidem grandem, vt, saltem hoc motiuo (quod apud multos efficacius est) in- ducatur ad confessionem eodem die naturali, quo aliquod peccatum mortale commisit.

Quinto, pro confessionibus peccatorum mortalium, eligat Confessarios quos scit esse valdè doctos, & elemosynas ab Illustrissima D. V. non expectaturos, & quos scit, sincerè dicere quæ debent dici sine respectu Dignita- tum & Officiorum in Repub. Magnorum. Quia mihi certò constat, etiam doctos Con- fessarios, spe elemosynæ, absoluere solitos, eos, qui erant, & sunt incapaces absolutionis, vel propter concubinas domi retentas, vel propter vsuras prætextu Wyderkauff palliatas, vel propter non factas restitutiones famæ, & pecuniarum ac similitum damnorum, vel pro- pter tutelam pupillorum, sub spe, condonatio- nis eorum, precibus violentis extortæ, quæ in conscientia non prodest, nec tollit obligatio- nem restitutionis, vt docent Sacri Canonès & Theologi omnes.

Sextò, Pluris faciat Meditationem rerum piarum, quàm multas preces & orationes vo- cales ex priuata deuotione susceptas. Quia me- ditatio rerum diuinarum per pijs considera- tiones, sed præcipuè per motam iis voluntatè, ad fugam peccatorum particularium & ad a- morem operum bonorum in particulari, ho- minem Dei beneficio reddit in quouis statu valdè pius & bonus. Nam vt ait S. Bernardus l. i. de Consid. c. 7. & quotidiana docet ex- perientia: *Consideratio mentem de qua oritur, pu- rificat*: (excitando dolorem de peccatis animâ fecerantibus, & ostendendo eorum turpitudi- nem) *deinde regit affectus*: (ne homo quicquam faciat, & dicat, ex passione vel iræ, vel odij, vel inordinati amoris aut alio simili prauo af- fectu) *dirigit actus*: (vt omnia fiant cum deco- ro & debito modo) *corrigit excessus*: componit mo- res, *viuam honestat, & ordinar*. Hac est, quæ ap- rienda præordinat (in Senatu, in Iudiciorum loco, domi, foris, ne quid ex impetu haturæ inconsideratè fiat) *alibi recognat, vt nihil in*

mente resideat incorruptum, aut correctione egens.

Septimò. Curet ut domestici famuli, praesertim infirmi, quolibet die festo Sacrum audiant: & singulis mensibus confiteantur & commucent. Et ut id fiat, constituat certum famulum bonae conscientiae, qui huic rei attendat, & an seruetur referat. Eandem ob causam, nisi grauis urgeat necessitas, diebus festis nec iter faciat, nec famulos aliò mittat, tum ut seruetur ad literam Dei praeceptum de festis sanctificandis, tum ne occasione itineris, aliqui famuli Missam audire non possint.

Octauò. Diligentissimè caueat, ne subditis vlla prorsus onera imponat, ad quae ex primà eorum institutione, non fuerunt obligati, siue ea sint in suscipiendis itineribus ad vehendas vel ferendas res aliquas, siue in laboribus domus vel in agris, siue in alendis canibus vel catulis, siue in contributionibus ad Domini aduentum conferri nullo iure solitis, siue aliis modis. Quia quodlibet tale onus, ad quod non sunt obligati rustici ex primà eorum erectione, si sit aestimabile pretio vnius ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque obligat ad restitutionem, quam nisi faciat, si scit, & potest (vix potest) damnabitur in aeternum.

Nonò. Eos, qui recurrunt cum libellis supplicibus, petentes aliquam gratiam, vel qui ferunt literas ab aliis Dominis responso indigentes, facillè admittat & non detineat, sed quamprimum potest expediat modo decenti & debito. Nam si ob moram culpabilem illi miselli, interim cogantur pro suo vel equi victu plus expendere, expectando responsum, Dominus nõ erit sine culpa. Idem dico de sententia in iudiciis ferenda, & de rebus controuersis iudicandis, ne iudicia & sententiae seu Decreta iudicialia differantur sine graui necessitate. Alioqui litigantibus magna fit iniuria, obligans ad restitutionem & satisfactionem damnorum, quae incurret litigantes, expectando litis decisionem, sine iustà dilationis causâ.

Decimò. Nullum accusatum etiam solâ mète condemnet, multò minus verbo vel castigatione, nisi prius placidè audiat accusari defensionem. Quam ut ille sine metu adferat, non indiget vili mortaliũ, se esse iratum accusato. Ita enim accusatus, prae metu, non tam benè se defendet. Ideò sciatur ab omnibus Illustrissimam D. V. parti accusatæ, alteram aurem, idq; semper seruare. Experientia enim quotidiana docet, etiam à vitis bonis (sed deceptis, vel ab aliis, vel à facilè credulitate naturæ) profectas accusationes, etiam videreptur valdè probabiles, fuisse & esse valdè falsas.

Vndecimò. Det operam, ut ex redditibus quos percipit ex suis dominis, praeter sumptus & expensas pro suis & suorum alimentis ac stipendius, & certam quotam annuatim deponendam pro aduersis casibus, si qui acciderent, quod ab-

sit, reliquum conuertat pro aeternitate. Hoc est, pro pijs operibus, quorum beneficio & plurima congregabit merita coram Deo, & in gratiâ eius valdè crescet, & magnas in caelo coronas suo tempore recipiet, & felicem rebus suis successum impetrabit à Deo, & post mortem poenâ purgatorij vel omnes, vel maximâ ex parte euadet, iuxta quantitatem elemosynarum ad pia opera conuersarum. Ne autem hac in re graui erret, certò sciat, magis Deo placere & animam vtiliores longè esse illas elemosynas, quae conuertuntur ad fundanda vel augenda, vel ornanda templa vna, hoc est, hominibus, quam quae expenduntur pro templis mortuis. Tempia enim vna, sunt membra Christi, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, non sic fabricæ praes & suppellex earum. Ideò Sancti Patres docent, pro auxilio captiuorum & similibus, etiam Sacros Calices posse comminui & vendi. Et quò fuerint melioris vitae templa vna (vix sunt Religiosi) ceteris paribus, maioris meriti sunt illis collatae elemosynae, quia sunt Deo illae personae cariores, quam mendicij vagabondi, ut plurimum portationibus secretis & rixis dediti, vix aliquando Sacrum diebus festis audientes.

Duodecimò. Cum Christianos deceat esse meliores Ethnicis, & turpissimum sit virtutibus ab iis superari, exempla virtutum ab Ethnicis edita, quae legendo eorum historias obseruabit, conetur modis omnibus Deo adiuuante in suis exprimere moribus, imò etiam praestantiora edere. Exempli gratia, Scipio Romanus captâ Hispanicâ Carthagine, ne quidem in conspectum suum adduci passus est captiuas puellas eximia polchritudinis, ne quid de Virginitatis integritate, saltem oculis delibassideretur. Vt enim benè scripsit Apuleius: *Vnum saltat oculis*: hoc est, tam facillè coniungitur, aspectus femina cum illius venera concupiscentia, quam facillè aulicis alijs, ad Lyra sonum saltat. Sic Augustus irasci penè nunquam vilis est, postquam hoc à Mæcenate monitum audiuit: *Iniquum est ea velle agrè ferre, quae si vera sunt, praestant non admisisse, sin falsa, dissimulare.* Philippus Rex Macedonum cum ex Atheniensibus Legatus quæsiuisset, quid posset facere quod foret Atheniensibus gratum, & Demochares ei dixisset: *Te suspendere*: exorta licet repente indignatione circumstantium, ad tam indignum responsum Philippus iussit quiescere, & Legatum illum adeò impudentem, dimittere incolumem. Sunt & aliae eximiae virtutes Ethnicorum saltem in externâ specie valdè laudabiles, quae imitationem merentur Christianorum, ne in iudicij die hanc quoque ob causam confundantur, quod Ethnicis similia factiora non ediderint.

Decimotertio. Habeat aliquem grauem vitium (sed non famulum) & De timore praeditum,

ac ab assentationibus liberum; à quo obnixè petat, vt quouis mense ei referat tria. *Primò*, quid de illà dicant homines vituperatoriè. *Secundò*, quid de eius famulis & modo viuendi famulorum in arce & extra arcem. *Tertiò*, quomoddò tractentur in pagis rustici à Capitaneis & aliis Officialibus eius. Et non indicatà personà quæ aliquid tale reculit, debita remedia adhibeat.

Decimoquartò. Quamuis sit in statu matrimonij, si non vult SS. Eucharistiam octauo quoque die sumere (quod omnino potest, certo modo, quem oretenus dixi) saltem confiteatur vnà cum Illustrissima, & Prole adultà, ad percipiendos illos fructus quos ex Catechismo scit provenire ex vsu bono & frequenti horù Sacramentorum. Ideò in primitiua Ecclesia communicabant quotidie, etiam in matrimonio constituti & erat hac de re Ecclesiæ Decretum, id vt facerent.

Decimoquintò. Commendo Illustrissimæ D. V. vsu breuis coronulæ à me descriptum, & vt alios ad idem faciendum suauiter adducat, rogo. Multum conciliabit sibi gratiæ apud Deum, hac deuotione etiam ad alios dilatatà.

Decimosexto. Quando sola est, nec vlla re occupata est, sed habet tempus pro otiano aptum, loco otij deambulet (ob sanitatem corporis) & singulos passus Deo offerat, saltem dicendo: *Propter te Domine*. Ita tot merita acquirat, quot passus faciat, & tot particulas peccatarum in purgatorio leniendarum abolebit. Causam dicam oretenus, nam nolo esse longior hic. Immodè & choreas honestas ducendo, ad singulos pedum motus, si eos Deo offerat, merebitur. Vno verbo, in quauis actione, quæ peccatum nõ sit. Hoc Apost. Paulus commendauit dicens: *Sine manducatis, sine bibitis, sine aliud aliquid* (id est quodconque) *omnia in gloriam Dei facite*. 1. Cor. 10. 31. Et ita S. Chrysostomus tom. 5. Or. Kalendis habita col. 7. *Etiã à leuissimis rebus & vilissimis* (vti est aleatum vel chartarum lusus) *maximas utilitates capiemus, si propter Deum ipsum eas faciamus*. *Quid enim est tonsione criminum vilis? hoc tamen licet propter Deum facere. Sed & ad imos vsque calceos demittere hunc morem licet. Licet ergo & calceis ipsis propter Deum vti: Si uxorem duxerim, propter Deum hoc faciamus: Licet vobis singula quæ sunt aut geruntur percurrere, & omnia propter Deum facere.* Hæc S. Chrysostomus magnus S. Ecclesiæ Doctor.

Lancij Opusc. Tom. 2.

ALIÆ MEDITATIONES

Pro Triduana Collectione ante Renouationem Votorum.

PRIMA.

Oratio preparatoria more solito.

Primum Prælium. Cogita te vocatum esse ad Tribunal Sanctissimæ Trinitatis vallatum tot Angelorum millibus, & Sanctis Omnibus, qui vitam Religiosam coluerunt, adstante & Angelo Custode tuo, & B. Ignatio, teque Diuinæ Maiestati præsentante, vt ei reddas rationem quomodo hoc anno, vel hoc Semestri obseruaueris Paupertatem, tam quoad votù, quàm quoad præscriptum Regularum & aliarum Ordinationum circa Paupertatem.

Secundum Prælium. Pete à Domino duplex auxiliù. *Primò*, vt cognoscas omnes tuos defectus circa Paupertatem. *Secundò*, vt eos agnitos, & intimè deploratos in posterum caueas, & in hac virtute excellas.

Primum Punctum. Considera primam ideam & exemplum Paupertatis expressum in virà Christi Domini & Apostolorum eius, quoad cibi & potus qualitatem, quantitatemque & modum, quoad vestrum qualitatem, & pretium, quoad lecti & habitationis incommoda quoad suppellectilis, & rerum mobilium, quibus utebantur, exiguum numerum ac vilem earum materiam, quoad modum comparandi res pro necessitate corporis. Vnde sequitur, non solum conueni te non debere, si in domo Dei ita tracteris, quoad hæc omnia, sed etiam te ipsum debere talem viuendi modum vltiò sectari, concupiscere, & quærere, immodè multò incommodiorem, & deteriorem, siquidem in omni militia Ducè Exercitus & eius Vicarios quæ est tractari meliùs & commodiùs quàm gregarios milites, è quorum numero tu quoque es vnus. Cur ergo vis commoditates maiores?

Secundum Punctum. Considera tuum viuendi modum in cibo, potu, habitatione, vsu rerù, & earum quantitatem, qualitatem, numerum, modum, durationem, an sit conformis Paupertati Christi & eius Apostolorum, & agnitis multis defectibus tuis, eos deplora, & præcipuos annota, vt in posterum caueas. Vt autem vtilius sit hoc tuæ Paupertatis examen, considera te illud in conspectu Diuinæ Maiestatis peragere, vt in primo prælium dictum est.

Tertium Punctum. Considera secundam ideam Paupertatis in Regulis nostris depictam, quibus iubemur Paupertatem diligere tanquam matrem, & custodire & tueri tanquam murum Religionis, quo aduersarij arcentur interitum tuæ Religioni procurantes. Hic cogita, quo affectu, quâ curâ indefessà, quantis laboribus, si opus sit, amentur dilectæ à filiis matres, &

H h h h quibus

quibus in rebus hic amoris affectus erga eas se prodat. Item quâ vigilantia custodiantur muri Ciuitatis alicuius ab hostibus obsessâ, ne tantillum illis damni inferatur, applica vtramque similitudinem ad Paupertatem, vt agnoscas quomodo amari debeat & custodiri, ne vel in re minimâ detrimentum patiat.

Quartum Punctum. An in te is sit affectus amoris erga Paupertatem, qui esse solet filiorum erga Matrem, item an illa vigilans custodia Paupertatis, qualis esse solet murorum hostibus vallatorum, & si talis est, age Deo gratias, & proficere stude; sin minus, erubescere coram Diuinâ Maiestate, & Sanctis eius, qui Statum Paupertatis complexus, sæculi delicias cõsectaris, & vis te pauperem sine defectu, & fortè pluribus commodis es deditus post sæculi fugam, quàm esses, dum in sæculo viues. Ideò pete veniam à Deo, & te ab hoc tempore tuæ renouationis emenda.

S E C V N D A.

De motiuis ad crucis amorẽ excitantibus.

Primum Punctum. Considera peccata tua etsi non essent nisi venialia quotidiana, mereri pœnas purgatorij omni supplicio huius vitæ grauiores, cum ergo aduersitates huius vitæ, & cruces immittat Deus, etiam ad exigendam satisfactionem pro peccatis admissis, meritò debes omnes huius vitæ aduersitates æquo animo excipere, siquidem sunt longè minores pœnis purgatorij.

Secundum Punctum. Considera Statum Religiosi, qui, vt ait S. Climacus, est perpetua natura violentia; cum ergo hunc Statum elegeris, æquum est, te debere viuere in continuâ cruce, naturæ tuæ in omnibus contraria.

Tertium Punctum. Considera finem Religiosi, qui est Christum imitari, tãquam Deum, & Ducem suum. Cùm ergò Christus Dominus plura sit, idque tui causâ, passus, æquum est, te pati minora, tum eius causâ, tum quia hoc vitæ genus elegisti, vt illum imiteris.

Quartum Punctum. Considera Dei seruos debere plus facere & pati pro Deo, quàm serui mundi faciant & patiantur pro mundo. Cùm ergò mundi Sectatores, vt milites, mercatores, famuli, & alij tam multa aduersantia iudicio, voluntati, propriæ existimationi, & famæ patiantur, æquissimum est te multò plura & facere & pati. Cur ergo te ad hoc præbes difficilem? Hæc coram Deo pondera, & statue, quomodo te debeas gerere impostero.

T E R T I A.

De respectibus humanis mortificandis.

Primum Punctum. Considera causas, ob quas soles, tum ob humanos respectus facere, quæ Deo displicent, vel omittere, quæ ei placent, & ponderatâ harum causarum utilitate, indignitate, damno, agnosce dignas non esse, vt ob eas omittas non omittenda; vel facias non facienda.

Secundum Punctum. Considera quàm sit res indigna plurius facere gustum humanum, quàm gustum Dei. Confundere, & te seridè emendare stude.

Tertium Punctum. Considera quantis bonis te priuas, quanta mala incurris, dum propter respectus humanos facis, quod non deberes, vel omittis, quod non deberes omittere, & tãtò magis accendere ad odium humanorum respectuum.

Quartum Punctum. Considera defectus quos incurris, tum omissione bonorum, tum perpetratione malorum ob humanos respectus, & iis defletis, veniãque postulatâ a Deo, propone seriam emendationem.

Q V A R T A.

Primum & Secundum Praeludium simile præteritis Praeludiis, mutatâ tantum materia Paupertatis in Obedientiam.

Primum Punctum. Considera primam ideam Obedientiæ expressam in Obedientia Christi & Apostolorum eius. Christi præsertim, qui erat subditus Iosepho & Mariæ: qui seruauit exactè legis veteris & non inuitata; soluit tributa tanquam subditus Monarchis terrenis: Mortis denique sententiam ab iniquo Iudice latam suscepit libenter, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quæ omnia ponderans, grato & pio affectu, gratias ei age, pro tantâ obedientiâ tui causâ exhibitâ, & cognosce, te debere non minùs esse obedientem. An autem sis, examina te, & corrige corrigenda.

Secundum Punctum. Considera Obedientiam tuam cum Personis, quibus Christus obediuit, cum non teneretur, & cum rebus in quibus eam ostendit, & vide, quàm longè distes ab eius obedientiâ; nam & illis obedis quos non superas vllâ re, sicut Christus superauit Iosephum, Mariam; Pilatum; & non obedis in rebus ita difficilibus, & ita iniquis, vt erat sententia mortis crudelissimæ in cruce susceptæ. Confundere ergo coram Diuinâ Maiestate, veniam pete, adnotatisque defectibus inobedienciæ præcipuis, eos stude vitare impostero.

Tertium Punctum. Considera secundam ideam Obedientiæ in Regulis expressam, in quibus

quibus Superiores audire iubemur tanquam Christum in omni re, quæ peccatum non sit, non tantum eorum præcepta & monita, opere & iudicij conformitate exequendo, sed etiam nutum & signa eorum voluntatis, sine vilo expresso præcepto. Et omnia attentè pondera, & practicè agnosce, ad quantum tenearis Obedientiæ perfectionem pertingere.

Quartum Punctum. Considera an obedias iuxta Ideam Obedientiæ. Quod si non obedis, dole, annota præcipuos defectus contra Obedientiam, vt eos in posterum, Deo adiuvante, caueas.

Q V I N T A.

De Colloquijs Spiritualibus.

Primum Punctum. Considera finem, ad quæ à Deo accepisti vsum linguæ, & sermonis, qui duplex est. *Primo* Dei laus. *Secundò* Manifestatio tuorum conceptuum mētis ad Dei gloriam, & tuum proximique bonum. Cogita itaque an sermonibus otiosis & secularibus de rebus vanis & inutilibus Deum glorifices, & tuum aliorumque bonum procures, & hinc discas, quibus de rebus te in posterum deceat loqui.

Secundum Punctum. Considera quàm multiplicia mala oriuntur ex sermonibus non Spiritualibus, & talibus, qui Religiosum os dedecant, & Sancto odio eos detestare.

Tertium Punctum. Considera an tam frequēs Eucharistiæ sumptio, quæ os, labia, gutturque tuum Dominus Iesus honorat & sanctificat, iure suo, à te exigat, ne hæc inquines variis sermonibus, quæ consecrasti in cultum Dei, tanquam vasa Deo dicata, & Dei præsentia sanctificata. Vide ergo quomodò debeas loqui, & ponderatis his rebus humillimè à Christo Domino veniam pete, quod ad rerum profanarum vsum conuerteris, quæ ipse ad sacrum destinavit.

Quartum Punctum. Considera defectus omnes linguæ, quibus iuxta iustum Dei iudicium agnosces, te ab utriusque linguæ tuæ. Hortum gravitatem perpende, desic, & seriè emendationem propone.

S E X T A.

Primum Punctum. Considera finem Societatis, qui est, salutis & perfectioni propriarum animarum vacare, & impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. Qua in te pondera tum excellentiam huius finis, tum ea, quæ requirit à te, vt his rebus benè perspectis, cognoscas, quàm tibi seriè sit incumbendum ad quærendam tuam, & proximorum tuorum perfectionem.

Lancicij Opusc. Tom. 2.

Secundum Punctum. Considera quomodò hætenus tuam perfectionem quæsieris, quod agnosces discurrendo per præcipuas virtutes, scilicet, Humilitatem, patientiam, dilectionem inimicorum, fraternam charitatem, temperantiam in cibo & potu, deuotionem, carnis macerationem. In quibus virtutibus examinate, an in te sint magis perfectæ, quàm in aliquibus secularibus deuotis, item an sint modò in te perfectiores, quàm fuerint initio tuæ ad Religionem conuersionis.

Tertium Punctum. Considera motiua quæ habes ad perfectè viuendum in omnibus actionibus tuis, scilicet Christi & Sanctorum exempla, præmia eternæ beatitudinis, tot auxilia interna & externa, quod habes omnia impedimenta sæculi à te ablata, & similia, vnde agnosce culpam tuam te non esse perfectum, ideo dole, veniam à Deo pete, & te ab hac reuouatione emenda.

Quartum Punctum. Considera causas, & impedimenta, ob quæ parum profecisti in studio perfectionis, & ponderatà eorum malitià, seriè ea amouere stude, & ad contraria nitere, quod vt succedat, opem S. Spiritus & Sanctorum implora.

S E P T I M A.

Primum Punctum. Considera variam necessitatem obseruandi Regularum, & vtilitatem prouenientem ex obseruatione Regularum. Sine illis enim nec perfectionem assequi poteris, nec Diuinæ voluntati satisfacere, quæ id à te exigat. Vnde accendere ad magnam desiderium eas perfectissimè obseruandi.

Secundum Punctum. Considera, quàm leues sint res, quæ te impediunt, ab exacta Regularum obseruatione, & quàm indignæ, vt propter eas prius te ingenti & multiplici bono, cuius sunt participes ij, qui Regularum exactè obseruant. Vnde damna stultitiam hæc in re, & cæcitatem tuam, & generoso animo propone vitare ea, ob quæ auerteris ab obseruatione Regularum.

Tertium Punctum. Considera præcipuos tuos defectus in obseruatione Regularum, tum erga Deum, & res diuinas, tum erga Superiores, tum contra æquales, tum erga inferiores te, & consideratà singulorum malitià, & damnis, quæ adferunt, ea in posterum diligenter vitare stude.

Quartum Punctum. Considera altitudinem perfectionis Euangelicæ, quæ in quibusdam Regularis continetur, vt est illa de exuendo omni carnis affectu erga sanguine iunctos, de æquitate animi seruanda, si tui defectus Superiori detegantur, de fugiendis omnibus, quæ mundus amat, & de concupiscendis iis, quæ Christus Dominus amplexus est. Præsertim amore iniuriarum, calumniarum, contumeliarum,

Hhhh 2 rum,

rum, de continuâ in rebus omnibus mortificatione, de rectâ intentione in omnibus rebus & operibus, ad solum Deum facienda, de imitandâ in obediendo baculi & cadaveris facilitate. Vnde agnosces, quid tibi desit ex his, & quanto bono te priuas, cum ad hæc non aspiras.

OCTAVA.

De usu mediourum ad perfectionem consequendam.

Primum Punctum. Considera media Sacramentorum, Confessionis, & Eucharistia tibi diuinitus data ad consecutionem multorum & magnorum Dei donorum, quam nimirum sint efficacia ex merito infinito Christi Passionis & mortis, quam sæpe illis utaris. Ac proinde quam plenus debes esse Dei donis, & omnibus virtutibus. Ex aliâ parte vide, quantum hauseris hucusque, si parum, erubescere, dolo, peccate veniam, si multum, humiles & feruentes age Deo gratias.

Secundum Punctum. Considera media interna gratia Dei, quæ in te sentis, tum in intellectu recipiendo lumina diuina, ostendentia tibi, quid fugere, quid tue amplecti debeas, tum in voluntate, sentiendo, eius excitationem, ad boni amorem, & mali odium. Hic duo pondera, **Primo**, frequentiam harum gratiarum motionum, **Secundo**, ad quid te impellant, ut agnoscas, quid te facere & vitare oporteat.

Tertium Punctum. Considera media externa à Deo tibi data, pro tua profectioe, quæ sunt Superiorum monita & Ordinationes, custodia, reprehensiones, poenitentia in iuncta: Aliorum bona exempla, Regularum & Ordinationum stabilium præscripta, auxilia ex aliorum precibus & meritis prouenientia. Et vide quomodo profeceris per hæc media, quibus in rebus deficias, & seriam propone emendationem.

Quartum Punctum. Considera causas ob quas non profecisti, vel parum, etsi tam multa & efficacia media diuinitus acceperis, & earum consideratâ malitiâ, eas à te amouere, & de practicis modis eas vitandi delibera, & Dei auxilium pro efficaci executione implora.

NONA.

Primum Punctum. Considera in hac renouatione, primam rem, quæ renouari debeat, esse feruorem Spiritus, qui situs est in accensâ voluntate omnia illa rectè & perfectè faciendi, quæ spectant ad obsequium Dei, & occupationes tuas Ordinarias, ad Dei gloriam tuamque ac proximorum bonum ordinatas, qui feruor & opera magis Deo grata reddit, magis meritoria, magis imperatoria, magis sa-

tisfactoria, magis facilia, iucunda, magis durabilia, vno verbo, magis perfecta. Quibus feruoris utilitatibus accendere ad eum excitandum & renouandum, & ita ad omnia, & singula opera tua ordinaria perfectè faciendam.

Secundum Punctum. Considera secundam rem, renouandam esse animi puritatem, id est studium efficax, & purgandi animam, si nondum purgata est, & conseruandi eam in posterum ab omni labe peccati etiam minimi, quantum fieri potest. Ad quod excitet te ipsa puritatis præstantia, à Deo valde experita, Sanctis, præsertim tuo Angelo carissima, Dei puritatis pia æmulatrix, præparans animam ad recipiendam, conseruandam, augendam Dei dona innumera in animâ, faciens animam dignam recto ad celos ingressu, post hanc vitam sine Purgatorio, & alia bona præstans, quæ piè indagare meditando potes, vnde accendere ad omnes defectus, etiam leuissimos efficacissimè fugiedos.

Tertium Punctum. Considera tertiam rem renouandam esse, crucis Christi desiderium & amorem, præsertim illius, quæ commoditates corporis & sensualitatis enecat, & amorem honoris, existimationis propriæ & famæ, sine quo crucis amore vita quietè transigi nunquâ potest. Cur autem crux Christi amanda tibi sit, renoua in memoriam motiua nuper ponderata in meditatione de hac re. Quare accendere ad tolerandum æquo, libenti, & hilari animo, illa omnia quæ tibi displicere possint, solis peccatis exceptis.

Quartum Punctum. Considera quartam rem renouandam esse, magnæ Sanctitatis efficacæ desiderium, quod in te efficiat situm perpetuâ crescendi indies, in maiori ac maiori semper perfectione, seu acquisitione solidarum virtutum, & obseruatione exacta Regularum. Iste enim est finis nostræ Societatis, vti dicitur Regula 2. & 15. Summ, quam à Societate cõmendatam, & expectatam à sæcularibus, in te pondera, & renouare stude.

DECIMA.

Ipsa die Renouationis votorum.

Primum Punctum. Considera indignitatem tuam, qui vota tua renouare & offerre vis Diuinæ Maiestati. **Primo**, Ob naturæ tuæ, infinito interuallo distantis à natura Diuinæ, vilitatem. **Secundo**, Ob tot peccata tua. **Tertio**, Ob tuam exiguam virtutem collatam cum Diuinâ perfectione. Vnde multo es vilior respectu Dei quam sit canis & vermis feridissimus respectu tui. Ideo profundè humilia te, & admirate Dei benignitatem, qui à tam vili creatura suscipit grato animo votorum oblationem, si rectè fiat, & roga S. S. Angelum Custodem vt te adiuuet.

Secundam

Secundum Punctum. Considera finem, ob quem debes Deo vota tu offerre, scilicet gustum & gloriam Dei, quam procul dubio percipit Dominus tuus ex hac oblatione, si rectè fiat. Quod agnosces, si reuocaueris in memoriam veteris legis oblationes, quibus omnibus est perfectior oblatio votorum, tantum da operam, ne quid eam fadet, quod si quid occultum sit, pete à S. Angelo Custode, & aliis Patronis tuis, vt id agnoscas, & sine morâ abigas.

Tertium Punctum. Considera quid Deo velis promittere, dum vota offers ponderando in quouis voto, quid à te exigat, quousque se extendat, non tantum quoad essentialem in illis perfectionem, sed etiam accidentalem. Quæ omnia vbi mente collegeris, tanquam in fasciculum colligata, præsentata Beatissimæ Virgini Mariæ Matri tuæ & Dominæ, vt velit esse mediatrix cum S. Angelo Custode tuo & Patronis tuis ad ea offerenda Diuinæ Maiestati.

Quartum Punctum. Considera quam turpe sit non seruare fidem Deo datam in oblatione votorum tuorum, sed ea quoad essentiam vel quoad accidentia infringere. Quod agnosces ex fidei datæ Regi alicui, sed violatæ dedecore. Cum ergo Diuina Maiestas, & ob suam excellentiam, & ob beneficia erga te, mereatur, vt quod ei promissisti adimpleas, da operam vt sis fidelis, vt autem sis fidelis, pete id ardentè à Christo Iesu per merita eius & sanguinem pretiosissimum, & à Beatissimâ Virgine, ab Angelo Custode, à S. Ignatio & ab aliis Sanctis.

De B. Borgia.

Primum Punctum. Considera vitam B. Borgiae ante ingressum in Societate fuisse Sanctissi-

mam, cuius hæc sunt indicia. *Primo*, quia Virginitatem illibatam conseruauit vsque ad Statum matrimonij. *Secundo*, quia fuit adeo Spirituales vt etiam tempore venationum pijs considerationes haberet valde altas. *Tertio*, quia etiam secularis aliquot tractatus Spirituales edidit & imprimi curauit. *Quarto*, quia obesus enormiter cum esset, præ desiderio Societatis ita se extenuauit, vt scimus ex eius vitâ. Tu gratias age Deo quod eum talem in sæculo fecerit, & colatâ vitâ eius sæculari cum tuâ seculari, agnosce magnam diuersitatem. Ideò dole de peccatis, & procura, vt saltem in Religione sis tam purus, tam Spirituales, tam mortificatus, vt ille fuit in sæculari statu.

Secundum Punctum. Considera eum esse vocatum ad Societatem à Beatissimâ Virgine quamuis propenderet ex se ad Statum alterius Ordinis. Hinc agnosce quam placeat Beatissimæ Virgini Societas ideoque ama illam, & ita viue in ea, sicut præscribit in Regulis suis. Quas quomodò serues examina te, & corrigenda corrige.

Tertium Punctum. Considera vitam eius in Societate, qualis fuerit erga Deum in tam longis orationibus quotidie, nam quinque horas præmittebat Sacrificio Missæ, quotidie confitebatur bis, vt se purissimum Dei oculis præsentaret. Tu vide quomodo in his duabus rebus te geras, & si quid perficiendum vel emendandum sit, perface & emenda.

Quartum Punctum. Considera inter res per quas Societatem conseruandam putabat, ex parte nostra, esse Obedientiam, & Meditationis siue Orationis studium. Vide ergo, quomodò te geras in his, & corrigenda corrige.

F I N I S.